UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

**Baronio, Cesare**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

Iesv Christi Annus 583. Pelagii Pap. II. Annus 6. Tiberii Imp. Annus 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14926**

Visual Library

*Senonico, & Remigio Bituricenſi, & cum aliis ſanctis Epiſcopis viginti capitula Eccleſiaſtica perfectè roborauit, quibus conſenſit * quoque Syagrius Eduenſis Epiſcopus, vir ſummæ ſanctitatis.* hæc Ado. Syagrius autem iſte, cuius meminit, haud pridem creatus fuit Epiſcopus Eduenſis; cuius ordinationi interfuiſſe S. Germanum Epiſcopum Pariſienſem, auctor eſt Fortunatus in ipſius Vita.

* conſedit

XI. Quod vero ad eiuſdem Synodi canones ſpectat: cum viginti in Concilio ſancitos canones Ado teſtetur, nonniſi decem & nouem reperiuntur, iidemque omnes ad morum emendationem, Eccleſiaſticamque diſciplinam ſpectantes, complures vero ad Iudæorum petulantiam coercendam. Inter alia & illud etiam cauerunt Patres, ne ad ſæculare forum Epiſcoporum cauſæ traherentur. Sed & cum vetuerunt, a ne clerici ſæculari habitu incederent, vel armati: ad prauum illum vſum, qui factione dictorum Epiſcoporum Salonij & Sagittarij irrepſerat, reſpectum habuiſſe Patres videntur. Actum b ibidem de Quadrageſima dicta S. Martini ante Natalem Domini trium dierum in hebdomada ieiuniis obſeruanda: quo tempore canones publice recitari mandarunt. Sed accipe verba eiuſmodi Eccleſiaſticæ ſanctionis.

a Ead. Syn. can. 5.

b Ead. Syn. can. 9.

XII. DE IEIVNIIS QVÆ PRAECEDVNT NATALEM DOMINI. *Vt à feria ſancti Martini vſque ad Natalem Domini, ſecunda, quarta, & ſexta ſabbati ieiunetur, & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus canones legendos eſſe, ſpeciali definitione ſancimus, vt nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe.* hæc Patres. Fuiſſe autem in Galliis huiuſmodi ieiunia primum inſtituta à S. Perpetuo Turonenſi Epiſcopo Gregorius eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes docet, vbi inter alia ieiunia c *A depoſitione* (inquit) *S. Martini vſque ad Natalem Domini terna in ſeptimana ieiunia.* Fuxit inde, vt nonnulli Fidelium ipſum integrum tempus Aduentus, quod Natalem Domini diem præcedit, ieiunio continuato tranſigerent. At de Synodo hactenus: iam ad ſequentis anni res geſtas tranſeamus.

c Greg. Turon. hiſt. lib. 10. c. 31.

## IESV CHRISTI
### Annus 583.

PELAGII PAP. II. Annus 6. — TIBERII IMP. Annus 2.

I. STATVS REIP. A TIBERIO PROBE DISPONITVR. SEquitur annus Chriſti quingenteſimus octogeſimus tertius, Indictionis primæ; quo Tiberius Imperator in ordinem redacto Iuſtiniano exercitus Duce ob conſpirationem initam cum Sophia, Mauritium in bello Perſico ſatis ſpectatum virum Magiſtrum militum creat, quieti Reipublicæ conſulturus: cognatione enim Iuſtiniani cum Iuſtino Auguſto intercedente, eidem regnandi parta cupido fuit: quæ vbi ſemel cor humanum inuaſerit, haud facile quibuſcumque remediis ab animo penitus extrahi poteſt, radicituſque conuelli, cum ſæpe recisa, vberiori germine, oborta occaſione, ſoleat pullulare. Sed cum tanta hæc nonniſi conſulto numine Tiberius ſic aggreſſus, omnia quam fœliciſſimum ſortita ſunt exitum: etenim bellum ciuile ipſo eſt eius ortu compreſſum, paxque vbique parta, atque cultus religionis viridem retinuit obſeruantiam; ex quibus factum eſt, vt ex bello Perſico, quam plures ſint relatæ victoriæ. Vtinam ſicut florentiſſimum extitit Imperij Tiberij tempus, ita fuiſſet & diuturnum.

II. Cum igitur (vt ex Euagrio dictum eſt) Mauritio cum præfectura Orientis bellum aduerſus Perſas à Tiberio Imper. creditum eſſet: fauente numine, aduerſus eos ſæpe bello decernens, diuina fultus ope ſemper egregias de illis victorias retulit: quæ cum haud facile breuitate perſtringi poſſint (res enim geſtas peculiari ſcriptione cum ſe ſcriptis proſecuturum Euagrius ſpem dederit; quod ea careamus, nec ſi præſtiterit, ſcimus) ex multis pauca dicemus, quæ idem auctor in Eccleſiaſtica digeſſit hiſtoria, vbi primum de Mauritij moribus eiuſmodi orationem inſtituit d:

d Euag. hiſt. lib. 5. c. 19. 20.

*Vir erat Mauritius prudens, ingenioſus, in rebus quidem diligens, animo conſtans & ſtabilis, ipſa vitæ ratione & moribus compoſitus, beneque cultus: ventris etiam cupiditates ſic coercuit, vt non modo rebus neceſſariis & facile parabilibus, verum etiam aliis omnibus, quibus vita intemperans ſe inſolenter efferre ſolet, abſtinuerit: vulgus hominum non facile admiſit ad colloquium, neq; aures cuiuſque ſermonibus patefecit: quippe quiſciret alterum contemptum, alterum aſſentationem parere: raro ſe adeundi conceſſit poteſtatem, eamque nonniſi vehementer rogatus largitus eſt; aures ſermoni ſuperuacaneo obturauit, non cera (vt eſt apud Poetam) ſed ratione, vt illa pro claui exiſteret, quæ eas hominum ſermonibus commode tum aperiret, tum clauderet. Inſcitiam autem matrem audaciæ, quæ ei vicina & finitima eſt, ſic ab ſe depulit, vt in temeritate periculum, in cunctatione ſecuritatem eſſe cenſeret: quippe fortitudo & prudentia, quæ in eius animo inſidebant, ſic ferebantur ad res gerendas, ſicut temporum momenta poſtulabant, habenaſque appetitionis ita direxerunt, vti vſus rerum requirebat: adeo vt in ea tum remittenda, tum intendenda modus quidem & moderatio conſeruaretur. Sed de hac re poſtea accuratius diſputabimus. Nam quam egregius quiſque ſit, & qualem naturam moreſque habeat, ex eius imperio conſiderandum eſt: quæ vna res hominem ſolet perſpicue, qualis ſit, oſtendere: quandoquidem cum libera ei ſit viuendi poteſtas, ea quæ ſunt in animi domicilio recondita, omnium oculis ſubiicit ad contemplandum.* hæc de MAVRITII moribus. ſed pergit reliqua enarrare, cum ait:

III. MAVRITIVS QVALIS.

IV. RESPLECLARE GESTA A MAVRITIO DVCE. *Iſte Mauritius cum bellum in exteris regionibus gereret, ciuitates & arces Perſis accommodatiſſimas cepit, tantamque prædam inde euexit, vt inſulas, vrbes, agroſque diu ab hominibus deſertos captiuis, quos abduxerat, compleret: terramque, quæ ante cultura diu caruerat, iam ſedulo coli efficeret, atque adeo ex illis hominibus ingentem cogeret exercitum, qui contra alias gentes valide, viriliter & excelſo animo dimicarent: denique quamque familiam domeſticis miniſteriis impleret, quoniam captiui quam minimo comparari poterant. Porro autem idem Mauritius cum præſtantiſſimis quibuſque Perſarum, vtpote cum Tamcoſrhoe, & Adaarmane, qui copias ingentes ad bellum faciendum ducebant, prœliis decertauit. Verum quomodo, quæſo, quoue tempore, & qua fortuna res iſtæ ab eo geſtæ ſint, vel alij litteris perſequantur, vel nos in alio opere ſeparato (præſertim cum in opere, quod in manibus eſt, aliarum rerum explicationem ſimus polliciti) fortaſſe exponemus.*

V. VICTORIA MAVRITII DVCIS. *Tantum tamen hoc loco dicam, Tamcoſrhoem in acie non exercitus Romani fortitudine, ſed ſola Ducis pietate & in Deum fide cecidiſſe: Adaarmanem autem viribus in prœlio profligatum, ac multis amiſſis copiis, verſum in fugam: idque cum non ſolum Alamandarus barbarorum Scenitarum Dux Mauritium propterea prodiderat, quod fluuium Euphratem traiicere, & contra Scenitas barbaros, qui ex aduerſis partibus militabant, ei ſubſidio venire noluit (iſti enim Scenitæ ab aliis propter equorum velocitatem vinci non poſſunt, neque ſicubi interclusi ſint, capi: ſed hoſtes, dum fuga ſit ipſis facienda, longe præuertunt) verum etiam Theodoricus Dux Scytharum, qui intra teli iactum conſiſtere non audebat, ſeſe cum ſuis illico fugæ mandauit.* hæc ſummatim complexus eſt Euagrius de prœliis Mauritij aduerſus Perſas, quæ hoc anno cœpta in ſequentes ſunt propagata: nequaquam enim eſſe potuit anni vnius opus tanta aduerſus Perſas, tot diuerſis locis temporibuſque certamina, licet in Miſcella e omnia referantur anno ſequenti, tertio videlicet Tiberij Imperatoris: nos autem quæ certis ſingulorum annorum limitibus diſtingui non poſſunt, ſub ipſorum ortu, quo narrari ſunt cœpta, collegimus. Sed & iis, quæ ſunt de eius reditu ſcripta, pariter coniungamus, ex quibus mirificus ipſius Mauritij religionis cultus, quo potiſſimum vicit hoſtes, cognoſcatur.

e Miſcel. lib. anno 2. Tiber. Imp. lib. 17.

VI. Gregorius enim presbyter in Actis, quæ ſcripſit S. Theodori Sicæotæ, cuius fuit diſcipulus, hæc de reditu Mauritij ad Imperatorem ſcribit his verbis f: *Eo tempore piæ memoriæ Tiberius Imperio potiebatur: qui cum Mauritium ſibi à ſecretis Comitem feciſſet, miſit eum aduerſus Perſas, cumq; viciſſet illos, in vrbem ab Imp. reuocatus eſt. Hic igitur cum per Galatiam iter faceret, auditis, quæ de Chriſti ſeruo S. Theodoro cognomento Sicæota Archimandrita dicebantur, ad eum, qui*

f Apud Sur. tom. 2. April.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*tunc in ſuburbano quieſcebat, cum ſ. acre Petro & ſociis acceſſit: & ad pedes eius proſtratus orabat vt pro ſe Deum precaretur, vt iter ſuum ad imperatorem fortunaret. Beatus autem vir, cum vt, preces pro illo Deum obſecrauit, & Deo ſibi patefaciente, præcepiſſet: Fili, ſi ſancti martyris Georgij memor extiteris: ſed ea multo poſt cognoſces, qua in gloria imperij collocatus. Quod cum iuniisti memento vt pauperculas atque ſenes. Item cum Mauritium hoſtitaret, quia in imperij gloria ſe collocaturum fore diceret, ſenſum duxit eum, & amoris ſociis aperte ſignauit, quem futurum imperatorem. Mauritius igitur cum ſuis accepta benedictione, lætus diſceſſit, & Conſtantinopolim peruenit.* Hactenus de his Gregorius, quæ quando quoue modo impleta ſint dicturi ſumus poſtea ſuo loco. At de Mauritij imperio longe ante his ſimilia prædicta fuerunt ab Eutychio Conſtantinopolitano Epiſcopo, cum exul ageret in Ponto: quæ ab Euſtathio, qui præſens erat, ita deſcribuntur:

*Cum agerent ſanctus in monaſterio, in earum perturbationibus, vt qui prouinciam Ponti incolebant, venirent ad ſanctum hunc virum, magnam ex illius ſermone vtilitatem percepturi. Cumque (vt in eo loquitur) alij aliis prouinciis ad eum venirent magno Dei viro, cum de Araviſſenorum ciuitate mentio fieret, ciuitatem qui inde venerant: Magna eſt ciuitas veſtra, & de illa merito dici poteſt: E Nazaret poteſt aliquid boni eſſe? Id autem ita prænunciabat, vt non diceret ſe ita affirmare, ne ſe ſublimem, ſed humilem oſtenderet,* hoc quidem verborum inuolucro clauſit myſterium, nempe ex Arabiſſenorum qui Orbi dominaretur. Sed de patentiori oraculo, quod hoc anno, biennio videlicet ante Tiberij obitum ab eo prænunciatum eſt, hæc ſubdit idem Euſtathius.

*Cum autem (inquit) Deo placuiſſet, vt in ſuam ſedem reſtitueretur ſanctus Eutychius, biennio ante obitum Tiberij Imperatoris contigit, vt ipſe Tiberius in morbum incideret: & iuſſit eum ad ſe ſanctum Eutychium, atque conualuit. Per viſum enim agnouerat, tunc eum non eſſe moriturum. Cum igitur noſtra diceret de ſucceſſore, ſi quid humanitus ei contigiſſet: Non moriar, dicebat vir magnus. Et cum diuerſi nominarentur, beatus nihil ſignificabat. Sed cum poſſemus hic imperator Mauritius nomen eius coſignificaret, ea, qua antea cognouerat atque prædixerat, aperuit: Vere non eſt alius, inquiens, idq; iuramento aſſerens. Tunc igitur ea, quæ Amaſeæ dicta fuerant, meminimus.* hæc Euſtathius, quæ hoc anno contigiſſe demonſtrat: Sed & quod in huiuſmodi rebus verſatur oratio, reliqua, quæ eiuſdem ſunt argumenti, his contexamus, ea videlicet quæ de prodigiis diuinitus oſtenſis eiuſdem præſignantibus Imperium ab Euagrio ſunt enarrata, qui ait hæc:

*Ipſa quoque diuinitus oſtentata antegreſſa ſunt, quæ Mauritium imperatorem fore præſignificarunt. Nam ad multam noctem intra ſanctuarium templi ſanctæ & caſtiſſimæ Virginis & Deiparæ Mariæ dedicati, (quod quidem ab Antiochenis templum Iuſtiniani nuncupatur) thus incenſum offerenti, aulæum ſacræ menſæ igne conflagrare viſum eſt, adeo vt ingens admiratio & ſtupor illum inuaſerit, viſionemque magnopere extimuerit. Cui aſtans Gregorius illius vrbis Epiſcopus, dixit Viſionem cæleſtus immiſſam eſſe, & ſummam ei ſplendorem atque eximium portendere. Apparuit præterea verſus Orientem re ipſa Chriſtus Deus vindictam de iniuſtis requirens: qua quidem viſione Imperium Mauritij ſignificatum demonſtratum eſt. Nam quo, quæſo, niſi ab Imperatore & a tam pio homine qui ipſum pie colebat, rem huiuſmodi poſtularet.*

*Quin etiam mihi de his rebus percontanti alia res ſane memorabiles quæ ſigillatim à parentibus ſuis narratæ ſunt. Nam pater eius narrarat, ſe eo tempore, quo Mauritius conceptus fuit, in ſomnis vidiſſe vitem maximam ex ſuo cubili pullulaſcere, & botros ſibi innumerabiles & maturos ex ea pendere. Mater vero narrabat terram tempore partus ſui ſuaueolentem odorem, proprium & alternis vicibus variatum exſpiraſſe, ac ſæpe larua, quam Græci Empuſam vocant, infantem de loco in locum tranſtuliſſe, atque illum voraturam, minime autem ei nocere potuiſſe. Simeones, qui prope Antiochiam in columna habitauit, vir alius quiſquam prudentior ac ſtudioſe exquirendus Mauritium, & omnibus diuinis virtutibus eximie ornatus, multa eum verbis, tum factis expreſſit, quæ Mauritium fore Im-*

*peratorem plane indicarunt.* hucuſque Euagrius. Poſt hæc vero Tiberius Imperator, cum expertus eſſet Mauritiũ pium, prudentemq; eumdem ſibi generum cooptauit, tradens illi filiam Conſtantinam in matrimonium. Sed de his ſatis.

Hoc eodem anno, quo poſt primum Tiberii Imp. à menſe Auguſti ſecundus incipit numerari Pelagius Papa, vbi opportunum nauigandi tempus aduenit, ordinato Gregorio ex monacho diacono eumdem mittit Cõſtantinopolim Apocriſarium. Quoniam vero quod aſſeritur id factum à Benedicto Papa Pelagij prædeceſſore teſtificatione diaconi, ex ipſius S. Gregorii ſcriptis confutauimus ſuo loco ſuperius, cur in hunc ipſum annum potius ordinationem Gregorii & legationem eius Conſtantinopolim referamus, ratio lectori reddenda eſt: qui primum meminiſſe debet: demonſtratum eſſe perſeueraſſe Gregorium adhuc laicum, licet maxime pium, in fũctione Vrbanæ Præfecturæ vſque ad annum quingenteſimum octogeſimum primũ, cum creatus eſt Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus, prout ex ipſis Gregorii litteris eſt pleniſſime declaratum. Quomodo vero nuncium remittens ſeculo, factus eſt in monaſterio monachus, & ſtatim inde auulſus à Pelagio Papa & diaconus ordinatus, miſſus eſt Conſtantinopolim Apocriſarius ad Tiberium nouum Imperatorem, hæc apertius inſinuanda ſunt. XI. GREGORIVS EX MONACHO DIACONVS ET LEGATVS.

Cum igitur Gregorius monaſterium ingreſſus eſſet, ne ibi diu permaneret, oborta occaſio fecit, quia Pelagius Papa bene viſus, eum è monaſterio inuitum ac nolentem abſtraxit: vt ipſum videlicet ad recens creatum Tiberiũ Imperatorem mitteret Apocriſarium: ſciebat enim tanti viri in rebus gerendis prudentiam, diligentiam, atque dexteritatem, quas omnes animi eius dotes ſatis perſpectas habuerat in functione Vrbanæ Præfecturæ, nec ignorabat, quanti eſſet momenti apud Imperatorem ad negotia Eccleſiaſtica obeunda aſtare virum nobilitate inſignem virtutibusque conſpicuum, qui & peritiam rerũ gerendarum calleret, tantæq; eſſet præſtantiæ, vt ſi opus foret, aduerſus hæreticos atque ſchiſmaticos non tantũ ſtaret intrepidus, ſed & Catholicos coerceret atque in officio contineret, ipſumque Imperatorem (ſi res exigeret) redargueret. Quoniam vero moris erat nonniſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconis Cardinalibus eiuſmodi munus obeundum fideliter credi: ob id Pelagius addidit, vt ipſum Gregorium, renitentem licet, crearet diaconum Cardinalem. XII. DELIGITVR GREGORIVS APOCRISARIVS.

Hæc autem omnia à nemine fidelius, quam ab ipſo Gregorio relata percipias, qui in præfatione ad S. Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem hæc de ſe habet, vbi primum de tarda à ſe facta ad monaſterium conuerſione agit: *Quia enim (inquit) plerumque nauem incaute religatam etiam de ſinu tutiſſimo littoris vnda excutit, cum tempeſtas excreſcit: repente me ſub prætextu Eccleſiaſtici ordinis in cauſarum ſecularium pelago reperi: & quæ etiam monaſterij quam habendo non fortiter tenui, quam ſtricte tenenda fuerit, perdendo cognoui. Nam cum mihi ad percipiendum ſacri altaris miniſterium obedientiæ virtus opponitur, hoc ſub Eccleſiæ colore ſuſceptum eſt, quod ſi inulte liceat, iterum fugiendo deſerviatur.* Et paulo poſt: *Eo quoque tempore, quo ad miniſterium altaris acceſſi, hoc de me ignorante, ante me, actum eſt vt ſacri ordinis pondus acciperem, quatenus in terreno Palatio licentius excubarem.* Sic itaque vides, tum auulſum monaſterio creatum eſſe diaconum, cum Apocriſarius Conſtantinopolim mittendus eſſet, & non ante. Nam nonniſi diaconis eiuſmodi munus credi cõſueuiſſe, idem Gregorius in epiſtola ad Focam Auguſtũ docet his verbis c: *Quod permanere in Palatio iuxta antiquam conſuetudinem Apoſtolicæ ſedis diaconum veſtra ſerenitas non inuenit: non hoc meæ negligentiæ, ſed grauiſſimæ neceſſitatis fuit. Quia dum miniſtri omnes huius noſtræ Eccleſiæ contrita aſperaque tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, vt ad vrbem regiam in Palatio permanſurus accederet.* Subdit vero, ſe tunc Eccleſiæ Defenſorem ordinaſſe diaconum, quem Apocriſarium mitteret Conſtantinopolim. XIII. QVOMODO GREGORIVS MONASTERIO EVVLSVS.

c Greg. lib. 11. epiſt. 43.

XIV. SVOS SECVM DVCIT MONACHOS GREGORIVS.

At quid Gregorius ordinatus iam diaconus, cum profecturus Conſtantinopolim eſſet? Illud quidem admiratione dignum præſtitit, vt qui non permiſſus eſſet in ſuo monaſterio permanere, miro quodam modo ipſum monaſterium ſecum veheret, cum videlicet complures ex eodem ipſe inde duceret ſecum monachos, quo vbicumque locorum eſſet, ſiue in diuerſorio, ſiue in naui, ſiue Conſtantinopoli, iidem nobile redderent monaſterium florentiſſimum monaſticis inſtitutis. Id quidem ex eiſdem ad Leandrum ſcriptis in præfatione ad libros Moralium facile poſſumus intelligere, vbi ait: *Me ſcilicet multi ex monaſterio fratres mei germana charitate ſecuti ſunt. Quod diuina factum diſpenſatione conſpicio, vt eorum exemplo ad orationis placidum littus quaſi anchoræ fune reſtringerer, cum cauſarum ſecularium inceſſabili impetu fluctuarem. Ad illorum quippe conſortium, velut ad tutiſſimi portus ſinum, poſt terreni actus volumina fluctuſque fugiebam. Et licet illud me miniſterium ex monaſterio abſtractum à priſtina quietis vita mucrone ſuæ occupationis extinxerat, inter eos tamen per ſtudioſæ lectionis alloquium, quotidianæ me adſpiratio compunctionis animabat*, hæc Gregorius de ſeipſo. Inter alios autem monachos ſecutus eſt Gregorium Maximianus, qui numeratur ab ipſo ſui monaſterij ſecundus Abbas primus poſt Valentium. Porro res geſtæ ab eodem Gregorio Conſtantinopoli inferius pro temporis ordine dicentur.

XV. SYNODVS BRENNACENSIS IN GALLIA.

a Greg. lib. 5. c. 47. 48. 49.

Hoc eodem anno, qui & quintus numeratur Childeberti Iunioris Regis filij Sigeberti, habita eſt in Gallia Synodus Brennacenſis, cuius aliquot apud Gregorium a Turonenſem Epiſcopum, qui interfuit, monumenta extant: nam celebrata ipſa eſt in cauſa ipſius Gregorij, cum reus factus eſſet, quod in Reginam Fredegundẽ vxorem Chilperici & in Bertheramnum Burdegalenſem Epiſcopum crimen nefarium compoſuiſſet & euulgaſſet. Res autẽ ita ſe habuit. Leudaſtes Præfectus ſiue Comes Turonenſis, cum iniuſte admodum ſe geſſiſſet Eccleſiiſque damna plurima dediſſet, ob idque è præfectura opera Gregorij amotus eſſet, aduerſus eum vna cum Riculfo Turonenſi presbytero coniurans, calumniã ambo ſimul ſtruũt, accuſantes ipſum tradere machinatum Turonenſem ciuitatẽ Childeberto Regi, quod cum minime crederetur, adiecerunt calumniam aliam, qua Rex commoueri facile potuiſſet, nempe dixiſſe Gregoriũ, Fredegundem Reginam commiſceri ſolitam cum Bertheramno Epiſcopo Burdegalenſi: eius rei teſtes eſſe Platonem Archidiaconum, & Gallienum eiuſdem Eccleſiæ æque diaconum. Acceperat autem à Leudaſte Riculfus de Epiſcopatu Turonenſi promiſſionem, cum Gregorius damnaretur. Qui quaſi iam eius poſſeſſor multas interea in Gregorium irrogabat iniurias, neque à ſputis temperans: qui & accuſatorem ad Regem miſit eiuſdem nominis Riculfum clericum, promiſſo illi Archidiaconatu. Cum vero vincti catenis teſtes ducerentur ad Reginam, quid tunc Gregorius egerit, ab ipſo accipe: *Hæc ego* (inquit) *audiens, dum in domo Eccleſiæ reſiderem, mæſtus turbatuſque ingreſſus oratorium, Dauidici carminis ſumo librum, vt ſcilicet apertus aliquem conſolationis verſiculum daret. In quo ita repertum eſt: Eduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.* Interim vero iuſſus eſt ipſe Gregorius cuſtodiri vſque ad futurum conuentum Epiſcoporum in villa Brennaco colligendum.

XVI. DE MODESTO FABRO MIRACVLVM.

Sed quid interea mirandum acciderit, audi. Modeſtus quidam faber lignarius cum zelo iuſtitiæ redarguiſſet iſthæc patrantem, falſoque obiicientem Riculfum clericum accuſatorẽ: iſte eum auxilio Eunomij Comitis retrudi fecit in carcerẽ, vbi iuſſu Reginæ mandatur ſub diris tormentis. *Apprehenditur* (inquit Gregorius) *Modeſtus, torquetur flagellatur, & in vincula compactus, cuſtodiæ deputatur. Cumque inter duos cuſtodes carceris & cippo teneretur vinctus, media nocte dormientibus cuſtodibus, orationem fudit ad Dominum, vt dignaretur eius potentia miſerum viſitare, & qui innocens illigatus fuerat, viſitatione Martini Præſulis & Medardi abſolueretur. Mox diſruptis vinculis, diffracto cippo ſancti Medardi baſilicam, nocte nobis vigilantibus, introiuit.* hæc Synodum præceſſerunt: quæ ſatis fuiſſe poterant ad Gregorij innocentiam conteſtandam, cuius cauſa vinctus Modeſtus diuinitus fuerat liberatus.

XVII. GREGORIVS SE PVRGAT IVRAMENTO.

Vbi autem Brennaci Synodus Epiſcoporum eam ob cauſam collecta eſt: quid actum ſit, Gregorius ita narrat: *Congregati igitur apud Brennacum villam Epiſcopi, in vnam domum reſidere iuſſi ſunt. Deinde, adueniente Rege, data omnibus ſalutatione ac benedictione, reſedit. Tunc Bertheramnus Burdegalenſis ciuitatis Epiſcopus, cui hoc cum Regina crimen impactum fuit, cauſam proponit, meque interpellat, dicens à me ſibi ac Reginæ crimen obiectum. Negaui ego in veritate me hæc locutum, & audiſſe quidem hæc alios, me non excogitaſſe. Nam extra domum rumor in populo magnus erat dicentium: Cur hæc ſuper ſacerdotem Dei obijciuntur? Cur talia Rex proſequitur? Nunquid potuit Epiſcopus talia dicere vel de ſeruo? Heu, heu, Domine Deus, largire auxilium ſeruo tuo. Rex autem dicebat: Crimen vxoris meæ meum habetur opprobrium. Si ergo cenſetis, vt ſuper Epiſcopum teſtes adhibeantur: ecce adſunt. Certe ſi videtur vt hæc non fiant, ſed in fidem Epiſcopi committantur, dicite: libenter audiam quæ iubetis. Mirati ſunt omnes Regis prudentiam, vel patientiam ſimul. Tunc cunctis dicentibus. Non poteſt perſona inferior ſuper ſacerdotẽ cadi*: reſtitit ad hoc cauſa, vt dictis miſſis in tribus altaribus, me de his verbis exuerem ſacramento: & licet canonibus eſſent contraria, pro cauſa tamen Regis impleta ſunt.*

* credi

XVIII. RIGVNTHIS REGINA CHRISTIANA.

*Sed nec hoc ſileo, quod Riguntis Regina condolens doloribus meis, ieiunium cum omni domo ſua celebrauit, quouſque puer nunciaret, me omnia ſic impleſſe, vt fuerant inſtituta. Igitur regreſſi ſacerdotes ad Regem, aiunt: Impleta ſunt omnia ab Epiſcopo, quæ imperata ſunt, ô Rex. Quid tunc ad te, niſi vt cum Bertheramno accuſatore fratris communione priueris. Et ille: non ego niſi audita narraui. Quærentibus illis, quis hæc dixerit? reſpondit ſe hæc à Leudaſte audiſſe. Ille autem ſecundum infirmitatem vel conſilij vel propoſitionis ſuæ fugam inierat. Tunc placuit omnibus ſacerdotibus, vt ſator ſcandali, infamator Reginæ, accuſator Epiſcopi ab omnibus arceretur Eccleſiis, eo quod ſe ab audientia ſubtraxiſſet: vnde & Epiſtolam ſubſcriptam aliis Epiſcopis qui non adfuerant, tranſmiſerunt. & ſic vnuſquiſque ad locum ſuum regreſſus eſt.* hactenus Acta Synodi Brennacenſis.

XIX. RICVLFI CLERICI ACCVSATORIS POENA ET CONSTANTIA.

Quid autem factum fuerit aduerſus Riculfum clericum accuſatorem qui aderat, idem ſic tradit: *At Riculfus clericus ad interficiendum deputatur: pro cuius vita vix obtinui: tamen de tormentis excuſare non potui: nam nullares, nullum metallum tanta verba potuerit ſuſtinere, ſicut hic miſerrimus. Ab hora tertia diei, reuinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem dependebat: ad horam vero nonam depoſitus, extenſus ad trochleas, cædebatur fuſtibus, virgis & loris duplicibus, & non ab vno vel duobus: ſed quot accedere circa miſeros potuiſſent artus, tot cæſores erant. Cum autem in diſcrimine eſſet, tunc aperuit veritatem, & arcana doli publice patefecit. Dicebat enim, ob hoc Reginæ crimen obiectum, vt eiecta de regno, interfectis fratribus & patre, Clodouæus regnum acciperet, Leudaſtes ducatum.* hæc de falſo teſte. Porro Leudaſtem inſtar Cain vndique pulſum, vndique profugum ſuper terram vagaſſe tradit.

XX.

Non prætermittendum, de hac Synodo ſcripſiſſe carmen Venantium Fortunatum, quo & cecinit laudes Chilperici, necnon Fredegundis Reginæ. Quod enim aduerſus Fredegundem tanta calumnia ſparſa eſt, & cum ignominia ad iudicium vſque cauſa deducta: placuit Fortunato (quem puto eidem Synodo cum Gregorio interfuiſſe) eam ſcripto carmine celebrare, atque eius canere laudes, cuius opprobria fuerant adeo turpiter diuulgata, eſt vero eiuſmodi præfixa inſcriptio carmini b:

b Fortun. carm.

*Ad Chilpericum Regem, quando Synodus in Brennaco habita eſt*, incipit autem:

*Ordo ſacerdotum, venerandaque culmina Chriſti,*
*Quos dedit alma fides religione patres:*
*Paruulus opto loqui Regis præconia celſi:*
*Sublieuet exigui carmina veſter amor.*

& poſt multa habet iſta de Fredegunde Regina appoſite quidem:

Conti-

*Coniuge cum propria, quæ regnum moribus ornat,*
*Principe & ſummo participata regit,*
*Prouida conſiliis, ſolers, cauta, vtilis aulæ,*
*Ingenio pollens munere larga placens,*
*Omnibus excellens meritis Fredegundis opima,*
*Atque ſerena ſuo fulget ab ore dies,*
*Regia magna nimis curarum pondera portans,*
*Te bonitate colens, vtilitate iuuans.*
*Qua pariter tecum moderante palatia creſcunt,*
*Cuius & auxilio floret honore domus.*
*Quærens vnde viro duplicentur vota ſalutis,*
*Et tibi mercedem de Fredegunde facit.*
*Quæ meritis propriis effulget gloria regis,*
*Et Regina ſuo facta corona viro.*
*Tempore ſub longo hæc in fructu prolis honoret,*
*Surgat & vnde nepos vt renouetur auis.*
*Ergo Creatori referatur gratia digne,*
*Qui tale Rex Regem, qui tibi præbet opem.*

Hæc de ſe alia Fortunatus ad Chilpericum, & quidem puto nimis chilatis, vt è domo regia manantem ex impudici Reginæ ſœtorem veluti plurimo effuſo balſamo ſuffugaret.

XXIII. Verum qui Regibus dominatur, & ſolus verax eſt nec ſecundum faciem iudicat, aduerſus Chilpericum & Fredegundem ſententiam & quidem duriſſimam protulit, nulla penitus interpoſita mora: acciditque nutu Dei, vt illum, quem cecinit glorioſum Fortunatus, paulo poſt lugubri carmine occineret luctuoſo: quæ S. Saluio, qui eidem Synodo interfuit, quomodo fuerint antea demonſtrata, modo dicturi ſumus: modo verò accipe, quæ ante aliquantum tractata ſunt cum diſſerente de fide Iudæo; & quæ idem habet de Chilperico Rege ipſi Gregorio conciliato, & ab ipſo benedictionem petente cum inde receſſurus eſſet Pariſios ſe ſtaturus. Cum enim moraretur adhuc apud Chilpericum Gregorius Turonenſis (vt ipſe narrat) occaſione Iudæi nomine Priſci, cum eo de veritate Chriſtianæ fidei contuliſſet in obſtinatione ille ſua permanens, nihil profecit: ſcripſit tamen eam ipſe diſputationem Gregorius a. ad cuius finem, vbi agit de Rege iam Pariſios profecturo, hæc habet: *Ad me* (inquit) *conuerſus poſtulat, vt accepta benedictione diſcederet, ait enim: Dicam tibi, ô ſacerdos, quod dixit Iacob ad Angelum, qui cum loquebatur: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Et hæc dicens, aquam manibus porrigi iubet: quibus ablutis facta oratione, accepto pane gratias Deo agentes, & ipſi accepimus, & Regi porreximus, hauſtoque mero Vale dicentes diſceſſimus*, hæc de Rege accipimus eloquens ab ipſo Gregorio, vt hic pacis ſymbolo ſe plenè reconciliatum ſe oſtenderet. Sic igitur qui ad Regem iam maieſtatis aduenerat, à regia maieſtate eo modo ſummo affectus honore receſſit, ſed ad S. Saluii vaticinium redeamus.

Quid etiam poſt hæc ibi contigerit memoratu dignũ, idem Gregorius narrat his verbis b: *Igitur cum, Vale poſt ſynodum iam dicto Regi iam dicto, ad propria redire vellem, non ante diſcedere placuit, niſi bunc virum*. Saluium Epiſcopum dicere, dato oſculo, linqueremus. *Quem quæſitum in atrio Brinnacenſis domus reperi. Cui dixi, quia iam erat ad propria redeundum. Tunc remoti paululũ dũ hinc inde ſermocinaremur, ait mihi: Vides ne ſuper hoc tectum, quæ ego ſuſpicio? Cui ego: Video enim ſuper tegulum, quod nuper Rex poni præcepit. At ille Aliud neque vides? Cui ego: Nihil aliud, inquam, video (ſuſpicabar enim, quod aliquid iocularius loqueretur) & adiecit: Si tu aliquid magis ternis enarra. At ille vltra trahens ſuſpiria, ait: Video ego euaginatum iræ diuinæ gladium ſuper domũ hanc dependentem. Verum tamen non fefellit dictio ſacerdotem: nam poſt dies viginti duo filii Regis (quos ſuperius mortuos diximus) obierunt*. hæc Gregorius: quomodo vero mortui ſint, inferius docet.

XX. Nam idem Gregorius eodem hoc anno, qui numeratur (vt dictum eſt) quintus Childeberti Iunioris peſtem inguinum depopulatam eſſe Gallias tradit, qua tracti iidem filii Regis Chilperici & Fredegundis extincti ſunt. Porro rem geſtam idem auctor enarrat: *Igitur in his diebus Chilpericus Rex grauiter ægrotauit. Quo conualeſcente filius eius iunior, necdum ex aqua & Spiritu ſancto renatus, ægrotare cœpit: quem in extremis videntes, baptiſmo abluerunt. Quo parumper melius agente, frater eius ſenior nomine Clodobertus hoc morbo corripitur. Ipſumq; in periculo mortis Fredegundis mater cernens, ſero pœnitens ait ad Regem: Diu nos male agentes pietas diuina ſuſtentat: nam ſæpe nos febribus & aliis malis corripuit, & emendatio non ſucceſſit: Ecce iam perdimus filios: Ecce iã nos lacrymæ pauperum, lamenta viduarũ, ſuſpiria orphanorum interimunt, nec ſpes remanet, cui aliquid congregemus. Theſaurizamus, neſcientes, cui congregemus ea: Ecce theſauri remanent poſſeſſore vacui, rapinis ac maledictionibus pleni. Nunquid non exundabant promptuaria vino: Nunquid non horrea abundabant frumento: Nunquid non erant theſauri referti auro, argento, lapidibus pretioſis, monilibus, vel reliquis imperialibus ornamentis: Ecce quod pulchrius habebamus, perdimus.*

XXIV. POENITENTIA REGINÆ FREDEGVNDIS ET REGIS.

*Nunc ſi placet, venite incendamus omnes deſcriptiones iniquas, Sufficiat fiſco noſtro quod ſuffecit patri Regique Clotario. Hæc effata Regina, pugnis verberans pectus, iuſſit libros exhiberi qui de ciuitatibus ſuis per Marcum venerant: proiectiſq; in ignem, iterũ ad Regem conuerſa: Quid tu, inquit, moraris? Fac quod vides à me fieri: vt etſi dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc Rex compunctus corde tradidit omnes libros deſcriptionum igni, conflagratiſque illis, miſit, qui futuras prohiberet deſcriptiones. Poſt hæc infantulus iunior dum nimio labore tabeſcit, extinguitur: quem cum maximo dolore ducẽtes è villa Brennaco Pariſios, ad Baſilicam S. Dionyſii ſepelire mandauerunt. Clodobertum vero componentes in feretro, Sueſſionas ad baſilicam S. Medardi duxerunt, proiicienteſque eum ad ſanctum ſepulchrum vota vouerũt pro eo, ſed media nocte anhelans iam & tenuis ſpiritum exhalauit: quem in baſilica ſanctorum Criſpi & Criſpiniani martyrum ſepelierunt. Magnus vſque huc planctus omni populo fuit: nam viri lugentes, mulieresque lugubribus veſtimentis indutæ (vt ſolet in coniugum exequiis) ita hoc funus ſunt proſecutæ. Multa poſtea Chilpericus Rex eccleſiis, ſiue baſilicis vel pauperibus eſt largitus.* hæc de funere duorum filiorum Regis, & de Rege ipſo in meliorem frugem mutato Gregorius.

XXV. d Fortun. l. 10. car. EPITAPH. CLODOBERTI REGIS FILII.

Scripſit iiſdem Regis filiis epitaphia Venantius Fortunatus, atque primum maiori natu filio Clodoberto his verſibus d:

*Flere monet populum crudelia funera Regum,*
*Cum caput Orbis humo mœſta ſepulchra tegunt.*
*Hoc igitur tumulo recubans Clodobertus habetur*
*Qui tria luſtra gerens raptus ab Orbe fuit,*
*De proauo veniens Clodoueo celſa propago,*
*Clotarique nepos Chilpericique genus:*
*Quem de Regina ſumpſit Fredegunde venuſta;*
*Auxerat & naſcens Francica vota puer:*
*Quem patria dum ſpes* adoleſceret ampla,*
*Accelerant dies, ſors inimica tulit,*
*Sed cui nulla nocent querulis contagia mundi,*
*Non ſtat vbus amor, quem modo cingit honor.*
*Nam puer innocuus viuens ſine crimine lapſus*
*Perpetui regni ſe ſaciat arce frui.*

Sed & eius germano Infanti Dagoberto æque epitaphiũ elaborauit, ex quo nomen eius à Gregorio prætermiſſum ediſces, vocatum nempe Dagobertum: ſic enim ſe habet:

EPITAPH. DAGOBERTI REGIS FILII. *abis

*Dulce caput populi, Dagoberte, perennis amore,*
*Auxilium patriæ ſpes puerilis obis*.*
*Germine regali naſcens generoſus & infans,*
*Oſtenſus terris mox quoque rapte polis.*
*Belligeri veniens Clodouei gente potenti*
*Egregio proaui germine, honore pari.*
*Regibus antiquis reſplendens nobilis infans,*
*Chilpericique patris vel Fredegunde genus:*
*Te veneranda tamen mox abluit vnda lauacri,*
*Hinc licet abreptum lux tenet alta throno.*
*Viuis honore ergo & cum Iudex venerit Orbis,*
*Surrecturus eris fulgidus ore nitens.*

Iſta Venantius, qui (vt diximus) cum paulo ante læta cecinisset, ſcribere mox coactus eſt Regũ funerib. epitaphia, ſed & tunc etiam ad ipſũ Regẽ conſolationem de filiorum obitu carmine ſcripſit, cuius eſt exordium,

*Aſpera conditio & ſors irreuocabilis horæ,*
*Quam generi humano triſtis origo dedit.*

& inferius alludens ad luctum vniuerſi populi, iſta ſubdit:

*Talis erit populus, qualem te viderit omnis,*
*Deque tua facie plebs tua vota metit.*

innatum eſt enim Francis, eiſdemque illud peculiare, vt cum præ cæteris gentibus ſuum diligant Regem, ſeſe in Regis vultum, mores animi, corporis habitum, atque alia denique omnia (quantum fas eſt) transformare, ſimileſque reddere cupiant.

XXVI. CLODOVEVS NECATVR.

At nec finis hic filiorum Chilperici Regis funerum: etenim Fredegūdis amiſſis carens filiis nouercali odio in priuignum Clodoueum commouetur, quem in ſuſpicionem adductum, quod aliquid in eam moliretur, eundem detruſum in carcerem ibi gladio feriri præcepit, de ipſo illud euulgans, quod ſe ipſum obnoxium culpæ neceſſet. Rem geſtam narrat ipſe Gregorius a. Erat Clodoueus iſte filius Chilperici ex Audouera vxore ſua, ex qua pariter Theobertum & Moroueum ſuſceperat. Ipſa autem Audouera velata, quanam arte ſe Fredegundis coniunxerit Chilperico, ab Adone Viennenſi ſic accipe: *Abſente Chilperico, Fredegundis Audoueram Reginam tali fraude decepit, vt filiam, quam ex Chilperico habebat, Audouera ex ſacro fonte ipſa per ſe non per aliam ſuſciperet: quod & ipſa ſeducta quidem fecit. Ac idcirco poſtmodum à marito ſuo Chilperico dimiſſa: ſicque Fredegundis in connubium tranſiit: Audouera vero velata villas & prædia tantum ad ſuſtentationem ſui accepit. Epiſcopus, qui filium baptizauit & matri cum tenere non prohibuit, exilio damnatus eſt.* hæc Ado, quibus plenius Fredegundis perfidia innoteſcat, quam in priuignum Clodoueum filium Audoueræ ad poſtremum Phædræ inſtar expleuit.

a Greg. lib. 5. cap. 39.

FRAVS FREDEGVNDIS.

XXVII. IMPIÆ AVSTREGILDIS REGINÆ OBITVS.

Sed funeribus Regum triſtiora Reginæ funera coniungamus. Gregorius enim his de obitu filiorum Chilperici narratis, de alia Regina Francorum coniuge Gunthramni germani Chilperici hac eadem peſte defuncta mox illa funeſta ſubiungit: *His diebus Auſtregildis Gunthramni Principis Regina ab hoc morbo conſumpta eſt. Sed priuſquam nequam ſpiritum exhalaret, cernens quod euadere non poſſet, alta trahens ſuſpiria, voluit leti ſui habere participes, agens vt in exequiis eius aliorum funera plangerentur. Fertur enim Herodiano more Regem petiiſſe dicens: Adhuc ſpes viuendi fuerat, ſi nō inter iniquorum medicorum manus incidiſſem: nam potiones ab illis acceptæ mihi vi abſtulerunt vitam, & fecerunt me hanc lucem velociter perdere. Et ideo ne mors mea inulta prætereat: quæſo, & cum iuramenti interpoſitione coniuro, vt cum ab hac luce diſceſſero, ſtatim ipſi gladio trucidentur: vt ſicut ego amplius viuere non queo, ita nec illi poſt meum obitum glorientur, ſed ſit vnus dolor noſtris pariter & eorum amicis. Hæc effata infelicem animam tradidit. Rex vero peracto ex more iuſtitio, oppreſſus iniqua coniugis iuramento, impleuit præceptum iniquitatis: nam duos medicos, qui ei ſtudium adhibuerant, gladio feriri præcepit.* hæc Gregorius.

XXIIX. NANTINI OBITVS ET SVPPLICIVM.

Eadem quoque lue tactum abreptumque ex hac vita Nantinum Comitem Engoliſmenſem, idem ſubdit, qui cum in ſancta loca Deique miniſtros mala multa paſſet, vltimo ipſe elogio, quid pateretur ob ſcelera perpetrata, teſtatus eſt: ait enim Gregorius b: *Poſt paucos menſes à ſupradicto morbo Nantinus Comes corripitur. Qui nimia exuſtus febre, clamauit, dicens: Heu, heu, ab Heraclio Antiſtite exuror: ab illo crucior: ab illo ad iudicium vocor. Cognoſco facinus, reminiſcor iniuſte iniurias me intuliſſe Pontifici: mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Hæc cum maxima infebre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens veſtigia hoc ei ad vltionem beati viri veniſſe: nam exanimem corpus ita nigredinem duxit, vt putares eum prunis ſuperpoſitum fuiſſe combuſtum. Ergo omnes hæc obſtupeſcant, admirentur, & metuant, ne inferant iniurias ſacerdotibus: quia vltor eſt Dominus ſeruorum ſuorum ſperantium in ſe.* Quæ autem aduerſus Heraclium Burdegalenſem Epiſcopum Nantinus egiſſet, idem Gregorius paulo ſuperius narrat, cum tradit ab eo ob immenſa ſcelera perpetrata ipſum Nantinum fuiſſe excommunicatum. At de his hactenus: iam vero è Galliis in Galliciam tranſeamus, Gregoriumque ſectemur, qui ait c:

b Greg. lib. 5. cap. 30. in fin.

c Greg. Tur. hiſt. Franc. lib. 5. cap.

XXIX. DE OBITV S. MARTINI GALLICIENSIS.

*Hoc eadem tempore* (nempe anno quinto Childeberti Iunioris, qui hoc Chriſti anno incipit numerari) *& beatus Martinus Gallicienſis Epiſcopus obiit, magnum populis illis faciente planctum. Nam hic Pannonia ortus fuit* (ſicuti nomen & patriam, ita etiam ſanctitatem Martini Turonenſis adeptus) *& exinde ad viſitanda loca ſancta in Orientem properans, in tantum ſe litteris imbuit, vt nulli ſecundus ſuis temporibus haberetur: & exinde Galliciam venit, vbi cum beati Martini reliquiæ portarentur, Epiſcopus ordinatur, in quo ſacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutum migrauit ad Dominum. Verſiculos, qui ad oſtium ſunt à parte meridiana in baſilica Sancti Martini, ipſe compoſuit.* hæc Gregorius.

XXX. DE TEMPORE EIVS OBITVS.

Porro quod pertinet ad annos eius Epiſcopatus: dum numerat triginta circiter annos eius ſedis Gregorius, ſcias ipſum deducere numerum ab eo tempore, quo illatæ ſunt S. Martini Turonenſis reliquiæ in Galliciam, vt patet ex eiuſdem teſtificatione, dum de eadem à nobis ſuperius recitata translatione agit d qua ratione dicendum eſſet, inchoatum eiuſdem Epiſcopatum circa annum Domini quingenteſimum quinquageſimum tertium, cum alij (vt vidimus) referant ad annum quingenteſimum ſexageſimum: cui ſententiæ magis inhæſimus, quod ex actis Concilij Bracharenſis ſecundi tum nota Æræ, tum numero annorum Ariamiri Regis ſibi vendicet auctoritatem. Dies autem, quo tantus vir, cui multum debet Hiſpania, ex hac vita ad cælum migrauit, celebri ſolemnitate anniuerſario cultu refulget ad decimum tertium Kalendas Aprilis.

d Greg. Turon. de mirac. S. Martini lib. 1. cap. 11.

XXXI.

Ad poſtremum vero quod reperimus ipſius ſepulchrum, nefas ſit præteriiſſe eum inſalutatum, quamobrem ipſum ex prato Venantij collectis floribus aſpergamus, verſibus illis, inquam, quibus ipſe mirifica eius facta tunc temporis cecinit, cum prouinciam illam, abſterſo Ariano putore, ad Catholicam fidē conuertens grande Deo obtulit ſacrificium in odorem ſuauitatis, ſint igitur eiuſmodi vetera monumenta, epitaphij loco, ſanctiſſimi viri inciſa ſepulchro. Editum enim ad ipſum adhuc viuentem carmen ita incipit e:

e Fortun. carm. 1.

*Lumen Apoſtolicum cum ſpargeret vna Triadis,*
*Exciperetque nouum mundus honore diem.*

pergit dicere de Apoſtolis ad diuerſas gentes miſſis, ac demum iſta de duobus Martinis, ſeniore ac iuniore, Turonenſi videlicet atque Gallicienſi Epiſcopis:

*——— Martini Gallia priſci*
*Excellente fide luminis arma capit.*
*Martino ſeruata nouo Gallicia plaude:*
*Sortis Apoſtolicæ vir tuus iſte fuit.*
*Qui virtute Petrum, præbet tibi dogmate Paulum:*
*Hinc Iacobi tribuens, inde Ioannis opem.*
*Pannoniæ (vt perhibent) veniens è parte Quiritum,*
*Eſt magis effectus Galliciæ vera ſalus.*
*In ſulcum ſterilem vitæ plantaria ſeuit,*
*Quo matura ſeges fertilitate placet.*
*Elia meritis alter redit imber ariſtis,*
*Munera roris habens, ne premat arua ſitis.*
*Ne iaceant ſtupidis arentia iugera ſulcis,*
*Influit irriguo fonte perennis aquæ.*

ſpectant hæc ad prædicationem Euangelij: & quod ſubdit, id ipſum inſinuat:

*Hæreſis in ramis fidei plantaria fixit:*
*Quodque oleaſter erat, pinguis oliua viret.*
*Quæ ſtetit exilis, viduatis frontibus, arbor*
*Iam paritura cibum flores honore nouo.*
*Imponenda focis ſine quo ficulnea triſtis*
*Præparat ad fructum ſtercore culta ſuum.*
*Palmitis vua tumens auium laceranda rapinis,*
*Hoc cuſtode bono, non peritura latet.*
*Rebus Apoſtolicis ouantes * viuere monſtrat,*
*Arua ligone mouens, falce flagella premens.*
*Ex agro Domini lappas excidit inertes,*
*Atque racemus adeſt, qui fuit ante frutex.*

* pier.
* com.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*[illegible] ſit amara:*
*Surgit & æqualis lætificata ſeges.*

Hic plane dicendus fuerit Galliciæ reſtitutor Eccleſiæ. hinc idem Fortunatus ſubdicit:

*Martino ſeruata nouo Gallicia plaude,*
*Sortis Apoſtolicæ vir tuus iſte fuit.*
*Paſtoris ſtudio circa ſua ſepta recurrens,*
*Ne laſum triſtes oues ſeruat amore gregis.*
*Et portans manu trahit ipſe ad pabula Chriſti,*
*Sanctiori inſtabilem ne voret error ouem.*
*Cum tua reſtituens plebi de fonte ſalubri,*
*Vt bibat ore fidem porrigit ore ſalem.*
*Hoſtia lata quidem Domino pia vota parauit,*
*Et commiſſa ſibi dupla talenta refert.*

Et de æterno præmio, quod eſſet à Deo conſecuturus, hæc addit hæc ipſis:

*Vnum Euangelicum ſpectans operarius almus,*
*Vt tibi dicatur, Serue ſurge bone:*
*Quando fuiſti mihi ſuper pauca fidelis,*
*Super multa tamen conſtituendus eris.*
*Ibis in Domini modo gaudia lætior intra,*
*Propter labore locus magna parata tibi.*
*Audiam cum vocem, Martine, beatam:*
*Sed Fortunati ſis memor ipſe tui.*
*Quæſo, precare Pater, videam tua gaudia tecum:*
*Supplexque Regi poſtulet ante Petrum. &c.*

Commendat idem ſanctam Radegundem adhuc viuentem in monaſterio Pictauienſi Reginam cum ea, quæ præerat eidem Agnete Abbatiſſa, de qua ſæpe Gregorius.

Hoc idem anno, teſte Gregorio, qui (vt numerat) annus quartus eſt Childeberti Regis dira perſecutio in Hiſpania excitata eſt à Leuuigildo Rege Ariano aduerſus Catholicos: ait enim a: *Magna eo anno in Hiſpania Chriſtianis perſecutio fuit, multique exiliis damnati, facultatibus priuati, [illegible] carceri mancipati, verberibus affecti ac diuerſis ſuppliciis trucidati ſunt.* hæc ſummatim de perſecutione Gregorius. His conſentiens S. Iſidorus, vbi narrauit res ab eodem Rege in bello fortiter geſtas, iſta ſubiungit b: *Sed offuſcauit (inquit) error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique Arianæ perfidiæ furore repletus, in Catholicos perſecutione commota plurimos Epiſcoporum exilio relegauit, & Eccleſiarum reditus & priuilegia tulit, multoſque terroribus ſuis in Arianam peſtilentiam impulit: pleroſque ſine perſecutione illectos auro rebuſque decepit. Auſus quoniam inter cetera hæreſis ſuæ contagia etiam rebaptizare Catholicos, & non ſolum ex plebe, ſed etiam ex ſacerdotalis ordinis dignitate, ſicut Vincentium Cæſaraugustanum de Epiſcopo apoſtatam factum, & tanquam à cælo in infernum proiectum.* hucuſque de perſecutione Iſidorus breui quidem compendio quamplurima perſtringens, ex quibus magnum plane fuiſſet implendum volumen.

Sed quæ recentior cauſa perſecutionis huius indictæ proceſſerit, Gregorius c ita recenſet: *Caput autem, tamen origo huius ſceleris Goiſuintha fuit, quam poſt Athanagildum Regem coniugem Rex Leuuigildus * acceperat. Sed quæ [illegible] humilitatis iuſſit [illegible], proſequente vltione diuina ipſa quoque omnibus populis eſt facta notabilis: nam vnum oculum nubes albicante tegens lumen, quod mens non habebat, palpebris expulerat. Erant autem Leuuigildo Regi ex alia vxore duo filii,* Hermenegildus & Reccaredus *quorum ſenior [illegible] iunior Chilperici Regis filiam deſponſauerat. Sed Ingundis Sigiberti Regis filia cum magno apparatu in Hiſpanias directa, ab auia Goiſuintha cum magno gaudio ſuſcipitur* (erat enim Ingundis filia Brunichildis, quæ filia fuit eiuſdem Goiſuinthæ, vt ſuperius ex Fortunato & Gregorio diximus) *quam non paſſa eſt in religione Catholica diu commorari, ſed vt rebaptizaretur in Arianam hæreſim, blandis cœpit ſermonibus illicere. Sed illa viriliter reluctans, cœpit dicere: Sufficit ſatis me ab originali, lauacro baptiſmo ſalutari ſemel ablutam eſſe, & ſanctam Trinitatem in vna qualitate confeſſam: Hæc me credere ex toto corde confiteor, neque vnquam ab hac fide ibo retrorſum.*

*Hæc illa audiens, iracundia furore ſuccenſa apprehenſam per*



*comam capitis puellam in terram collidit & diu calcibus verberatam ac ſanguine cruentatam iuſſit ſpoliari, & piſcinæ immergi, ſed (vt aſſerunt multi) nunquam animum ſuum à fide noſtra reflexit. Leuuigildus autem dedit eis, nempe ipſi Ingundi, & viro ſuo Hermenegildo, vnam de ciuitatibus, in qua reſidentes regnarent. Ad quam cum abiiſſent, cœpit Ingundis prædicare viro ſuo, vt relicta hæreſis fallacia, Catholicæ fidei veritatem agnoſceret. Quod ille diu refutans, tandem commotus ad eius prædicationem, conuerſus eſt ad legem Catholicam, ac dum chriſmaretur, Ioannes vocatus eſt.* ſed tamen nomine, quo cognitus erat ab omnibus perſeuerauit dici Hermenegildus. Leandrum quoque Hiſpalenſem Epiſcopum doctrina & pietate clarum plurimum contuliſſe, vt Hermenegildus fieret Catholicus Chriſtianus, qui proſecuti ſunt res Hiſpaniarum tradunt, in primis vero S. Gregorius, Papa, vt ſuo loco dicemus.

HERMENEGILDVS REX CONVERTITVR AB INGVNDE CONIVGE.

XXXV. Cæterum cum pater perfidiæ argueret filium, filius vero cum hæreſis inſimularet: factum eſt, vt bellum ingens inter ipſos conflaretur, altera ex parte cum Leuuigildo pugnantibus Arianis, quorum maior numerus fortiorque potentia, ex altera vero reſiſtentib. cum Hermenegildo Catholicis. Hic ſentiens ſe imparem viribus, etſi iuſtiorem cauſam foueret, legat in Orientem ad Tiberium Orthodoxum Imperatorem S. Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, vt laborantibus ſub gladio Ariano, Catholicis ſuppetias ferret. De hac Leandri honorifica legatione meminit S. Gregorius, cum de amicitiæ vſu, qui interceſſerat cum eo, dum eſſet Conſtantinopoli agitat: ait enim d: *Dudum te, frater beatiſſime, in Conſtantinopolitana vrbe cognoſcens, cum me illic ſedis Apoſtolicæ reſponſa conſtringerent, & te illuc iniuncta pro cauſis fidei Regis Viſigothorum legatio perduxiſſet, omne tuis auribus, quod de me diſplicebat, expoſui, &c.* repetens ſuæ conuerſionis initia, & quomodo è monaſterio abſtractus ac diaconus ordinatus compulſus ſit à Pontifice Romano Pelagio legationis pondus ſubire, ſeu potius Apocriſiarij munus obire Conſtantinopoli.

LEGATIO S. LEANDRI EPISC. HISPAL. CONSTANTINOP.

d Greg. in præfat. Moral.

XXXVI. Quomodo autem tunc monachis ſuis petentibus, quos ſecum Roma duxerat, ipſoſque adnitente S. Leandro, aggreſſus ſit expoſitionem ſacri voluminis Iob, ita ſubdit: *Tunc eiſdem fratribus etiam te cogente, placuit (ſicut ipſe meminiſti) vt librum beati Iob exponere importuna me petitione compellerent, &c.* cœptum vero hoc anno opus illud Gregorius abſolutum primo ſui Pontificatus anno ad Leandrum id expetentem miſit, vt litteræ ipſius tunc ad eum ſcriptæ ſignificant e, nec non quæ in eumdem in Iob commentarium ipſe præfatus eſt.

e Greg. li. 2. Epiſt. 41.

XXXVII. Quod vero ad Leandri legationem ſpectat, quæ obtinuerit apud Tiberium Imp. haud ſatis liquet. Qui enim his temporibus rebus Perſicis occupatus erat, haud eo ſtatu poſitus fuiſſe videtur, vt aduerſus Gothos Arianos tam longe poſitos dirigeret vires Romani exercitus: tamen quod Gregorius Turonenſis tradit Græcorum copias præſto fuiſſe Hermenegildo, putandum Tiberium quibus potuit auxiliaribus copiis eidem adiumento fuiſſe. Quæ autem poſt hæc geſta ſint, & quomodo proditione perfidi parentis tentus Hermenegildus, & in carcere occiſus conſecutus fuerit coronam martyrii, dicemus anno ſequenti, quo tantum nefas contigit perpetrari.

XXXVIII. Quæ vero memoratu digna acciderint, dum eiuſmodi ciuile bellum in Hiſpaniis exardeſceret, ex diuerſis locis petita narremus, atque hæc in primis ex Gregorio Turonenſi f: *In Hiſpaniis* (inquit) *nuper factum cognoui, cum Leuuigildus Rex contra filium ſuum ambularet, atque exercitus eius (vt aſſolet) grauiter loca ſancta concuteret: monaſterium erat S. Martini inter Saguntum atque Carthaginem Spartariam. Audientes autem monachi quod hic exercitus ad locum illum deberet accedere, fugam ineunt, & ſe relicto abbate ſene, in inſula maris abſcondunt. Aduenientibus autem Gothis ac diripientibus res monaſterii, quæ ſine cuſtode remanſerant, Abbatem ſenio incuruatum, ſed ſanctitate erectum offendunt: extractoque vnus gladio, quaſi amputaturus ceruicem eius, reſupinus*

f Greg. Tur. de glor. confeſſ. ca. 12. 13.

ARIANVS DAT POENAS PERFIDIÆ.

*ruit,*

*ruit, ac ſpiritum exhalauit. reliqui vero hæc videntes, timore perterriti fugerunt. Quod cum regi nunciatum fuiſſet, cum teſtificatione præcepit, omnia, quæ ablata fuerant, monaſterio reſtaurari.*

XXXIX. DE ARIANI EPISCOPI IMPOSTVRA IN CÆCO SANANDO.

*Cernens autem præfatus Rex tanta miracula per ſeruos Dei, qui noſtræ religionis erant, fieri: vocauit vnum Epiſcoporum ſuorum: dixitque ſecretius ad eum: quamobrem vos, vt iſti, qui ſe Chriſtianos dicunt, non oſtenditis ſigna in populos ſecundum fidem veſtram? Dicit ei Epiſcopus: Sæpius ego cæcis lumen reddidi, & ſurdis auditum, nunc autem hæc poſſum facere, quæ dicis. Et vocato ad ſe vno de hæreticis, clanculo ait ad eum: Accipe quadraginta aureos, & clauſis oculis reſide in loco, vnde nobis eſt tranſitus: & prætereunte mecum Rege, exclama in virtute, vt perditum lumen mea tibi credulitate reſtituam. Cumque hic accepta pecunia feciſſet, quod ſibi fuerat imperatum, procedit nouus Cyrola ad dexteram conſtipatus hæreticorum caterua. Exclamat & iſte cæcatus pecunia: vt fide Epiſcopi reciperet oculos ſuos. At iſte cum non minima arrogantia imponens manus ſuper oculos eius, ait: Secundum fidem meam fiat tibi. Hæc eo dicente, ita obſerati ſunt oculi hominis cum dolore, vt non ſolum viſum perderet, verum etiam dolum, quem auaritia impellente finxerat, publicaret.* hactenus Gregorius, qui idcirco Epiſcopum hunc, cuius non refert nomen, nouum appellat Cyrolam, quod eiuſdem nominis Epiſcopus eiuſmodi facinus tempore Wandalico in Africa perpetraſſet, vt ſuperius eſt dictum. Eiuſmodi plane eſſe conſueuere hæreticorum miracula, vt impoſturis affectent agere, quod omnino denegat ipſis gratia Spiritus ſancti in operatione virtutum, quæ tanquam certa atque legitima dos cum aliis chariſmatibus Eccleſiæ Catholicæ tantummodo impertita cognoſcitur, veluti euidens ſignum, quo Catholici ab Hæreticis internoſci poſſint, nempe in oſtenſione ſignorum, quæ vere propieq; miracula dici queant.

XL.

Sed audi ab eodem auctore egregiam confeſſionem hominis Orthodoxi. quem ipſe nouit, deſcribit rem geſtam his verbis a: *Sed & noſtro tempore, cum incredulitas atque iniqua hæreticorum ſecta in locis Hiſpaniæ per malorum peſſimas aſſertiones diſſeminata fuiſſet: quidam clericus apprehenſus, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt, aſſerens æqualem Patri Filium & Spiritum S. Cui Rex, qui præerat, oblatis muneribus, tanquam maiorem ſe ſuppliciter deprecabatur, vt ſcilicet compreſſa confeſſione de S. Trinitatis æqualitate, minorem Patre Filium cum S. Spiritu fateretur. Quod ſi faceret, facultatibus ditaretur, & magnus haberetur in populis. Quod ille conſilium tanquam morſum viperæ fugiente, ac iniqui viri mortiferum reſpuente anguem: adiecit Rex: Video, inquit, duram intentionem mentis inſanæ ſed noui temperamentum tuum, vt quem munera non deflectunt, facile tormenta ſubiiciant. At ille: Vtinam dignus haberer, ait, in hac ſingulari confeſſione: nam munera tua tanquam ſtercus exhorreo. Tunc iratus Rex iuſſit eum ad trochleas extendi, & fortiter cædi, interrogans: Quid credis? Reſpondit: Iam tibi dixi: Credo Deum Patrem omnipotentem, & Filium eius Ieſum Chriſtum. Poſt hæc cæſus eſt valde (ſed ſemper durabat in confeſſione, neque vnquam eum à fidei linea potuit hæc tortura deflectere. Nam in primordio cum cæderetur, tres tantum verberis ictus ſenſit, qui (vt poſtea deferebat) ipſam animam penetrarunt: reliqua vero flagella nequaquam, tanquam ſi aliquod velamentum dorſo ſuperpoſitum fuiſſet. Ita non ſentiens, magis fidem, quam cæperat, inter tormenta poſitus prædicabat. Itaque cum Regi ſatisfactum de eius cæde fuiſſet, dimiſſus eſt, abſeſtante eo, ne in terminis Hiſpaniæ vnquam inueniretur. At ille lætus diſcedens in Gallias eſt regreſſus. Sed vt dictis fides adhibeatur: ego hominem vidi, qui hæc ab ipſius clerici ore audita narrauit.* hactenus de ipſo Gregorius. Quid vero de conflictu Orthodoxi tunc temporis inito cum hæretico, alibi idem auctor ſcribat, his attexere, congruum exiſtimamus; ait enim b:

a Greg. de glor. mart. cap. 81.

DE CLERICI EGREGIA CONFESSIONE.

NON SENTIT VERBERA CATHOLICVS.

b Greg. Turon. de glor. confeſ. c. 14.

XLI. IGNE PROBATA FIDES CATHOLICA.

*Retulit alius vir fidelis ſpectaſſe ſe Chriſtianum cum hæretico pro fide noſtra certantem. Altercantibuſque diu de diuinis Scripturis, cum flecti non poſſet hæreticus, vt agnoſceret veritatem, ait: Si noſtræ religionis, ſi Scripturarum teſtimonia te ad credendum minime mouent: vel virtutem indiuiduæ Trinitatis experire. Eſt digito meo annulus aureus: ego eum in ignem iacio: in candentem colligé. Proiectumque inter prunas annulum ita igniri permiſit, vt eis ſimilis cerneretur. Conuerſuſque ad hæreticum ait: Si vera eſt profeſſio tua, ſume eum ab igne. Illo autem reſiſtente, ait: Immenſa Trinitas Deus, ſi quid indignum te credo, oſtende: certe ſi recta eſt fides mea, nihil mihi præualebunt hæc incendia ſæua. Et ablatum ab igne annulum diutiſſime palma ſuſtinuit, & nihil eſt nocitus: ſed magis confuſo hæretico, Catholicos reliquos ſermone ſuæ fidei roborauit.* huculque Gregorius.

XLII.

Sed non tacendum de Agilane Ariano homine miſſo legato ab eodẽ Leuuigildo Rege hoc tempore ad Chilpericum, qui in via ad diſputandum ipſum Gregorium prouocauit. Quæ autem inter vtrumque tranſacta fuerint, idem auctor enarrat, recenſetque diſputationem tunc inter ſe habitam, perbreuem illam quidem, ac non vt exigebat ratio argumenti, ſed humilem atque pedeſtrem, ſi conferas cum illis, quæ ab aliis ſanctis Patribus aduerſus hæreticos copioſius atq; neruoſius allata ſunt. ſed audiamus ipſam ab ipſomet Gregorio deſcriptam his verbis c:

c Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 5. cap. 43.

DISPVTATIO GREGORII CVM AGILANE LEGATO ARIANO.

*Leuuigildus * vero Rex Agilanem legatum ad Chilpericum miſerit, virum nullius ingenij aut diſpoſitionis ratione peritum, ſed tantum voluntate in Catholica lege peruerſum. Quem cum via Turonos detuliſſet, laceſſere nos de fide & impugnare Eccleſiaſtica dogmata cœpit: Iniqua enim (inquit) fuit antiquorum Epiſcoporum lata ſententia, quæ æqualem aſſeruit Filium Patri. Nam qualiter (inquit) poterit eſſe Patri æqualis in poteſtate, qui ait: Pater maior me eſt? Non eſt ergo æquum, vt ei ſimilis æſtimetur, quo ſe minorem dicit, qui triſtitia mortis ingemuit, cui poſtremo moriens ſpiritum quaſi nulla præditus poteſtate commendat, Vnde Patre eum & ætate & poteſtate paterna minorem. Ad hæc ego interrogo: Si crederet Ieſum Chriſtum Filium Dei eſſe: ſi eumdemque eſſe Dei ſapientiam, ſi lumen, ſi veritatem, ſi vitam, ſi iuſtitiam fateretur, Qui ait: Credo hæc omnia eſſe Filium Dei, Et ego: Dic ergo mihi: Quando Pater ſine ſapientia? Quando ſine lumine? Quando ſine vita? Quando ſine veritate? Quando ſine iuſtitia fuerit? Sicut enim Pater ſine iſtis eſſe non potuit, ita & ſine Filio eſſe non potuit, quæ maxime & Dominici nominis myſterio coaptantur, ſed nec Pater eſſet vbique, ſi filium non haberet. Quod autem eum dixiſſe ais: Pater maior me eſt: Scias eum hoc ex aſſumptæ carnis humilitate dixiſſe, vt cognoſcas, non poteſtate ſed humilitate te fuiſſe redemptum. Nam tu, qui dicis Pater maior me eſt, oportet meminiſſe, quod alibi ait: Ego & Pater vnum ſumus. Nam & mortis timor & commendatio ſpiritus ad infirmitatem corporis eſt referenda, vt ſicut verus Deus, ita & verus homo credatur.*

XLIII. * Leuuigildus.

ARGVMENTATVR ARIANVS.

XLIV. RVRSVS ARIANVS INTERROGAT.

*Et ille: Cuius quis implet voluntatem, eo & minor eſt: ſemper Filius minor eſt Patre, quia ille facit voluntatem Patris: nec Pater illius voluntatem facere comprobatur. Ad hæc ego. Intellige quia Pater in Filio, & Filius in Patre in vna ſemper Deitate ſubſiſtit. Nam vt cognoſcas Patrem Filij facere voluntatem, ſi in te fides Euangelica manet: audi, quid ipſe Ieſus Deus noſter, cum ad reſuſcitandum venit Lazarum, ait: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. & ego ſciebam, quia ſemper me audis: ſed propter turbam, quæ circumſtat, dixi, vt credant quia tu me miſiſti. Sed & cum ad paſſionem venit, ait: Pater clarifica me claritate, quam habui apud temetipſum, priuſquam mundus fieret, Cui Pater de cœlo reſpondit: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Æqualis eſt ergo Filius in Deitate, non minor, ſed neque aliquid minus habens; nam ſi Deum confiteris, neceſſe eſt integrum fateaturis, & nihil egentem; Si vero integrum eſſe negas, Deum eſſe non credis. Et ille ex aſſumpto homine cœpit Filius Dei vocitari, nam erat, quando non erat. Et ego: Audi Dauid dicentem, Ex vtero ante Luciferum genui te. Et Ioannes Euangeliſta ait: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; Et hoc Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, per quem facta ſunt omnia. Nam vos cæcati veneno perſuaſionis nihil dignum de Deo ſentitis.*

XLV.

*Et ille nunquid & ſanctum Spiritum Deum dicitis, aut æqualem Patri, Filioque decernitis? Cui ego. Vna in tribus eſt voluntas, poteſtas, & operatio; Vnus Deus in Trinitate, & vnus in vnitate; tres perſonæ, ſed vnum regnum, vna maieſtas, vna potentia, omnipotentiaque. Et ille, Spiritus ſanctus, inquit, quem æqualem Patri profertis ac Filio, vtrinque minor accipitur: quia*

& dici-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*& à Filio promiſſum, & à Patre legitur miſſus: nemo enim promittit, niſi quod ſuæ dominationi ſubſiſtit: & nemo mittit niſi minorem ſe, ſicut ipſe ait in Euangelio: Niſi abiero, paracletus non veniet; ſi autem abiero, mittam illum ad vos. Ad hæc ego reſpondi: Ante filium ante paſſionem ait: quia niſi ille ad Patrem victor remeauerit, ac proprio ſanguine redempto mundo dignum Deo ex homine præparauerit habitaculum, non poteſt ſanctus Spiritus idem Deus in pectus fanatico & originalis criminis labe pollutum deſcendere. Spiritus enim ſanctus (ait Salomon) effugiet fictum. Tu autem ſi ſpem aliquam reſurrectionis habes, noli loqui aduerſus Spiritum ſanctum: quia iuxta ſententiam Domini Spiritum ſanctum blaſphemantibus non remittuntur neque in hoc ſæculo neque in futuro. Et ille: Deus eſt, qui mittit; non eſt Deus, qui mittitur. Ad hæc inter rogo: ſi crederet doctrinam Petri & Pauli Apoſtolorum? Reſpondente eo: Credo. Adieci: cum argueret Petrus Apoſtolus Ananiam pro fraude fundi, vide quid dicat: Quid tibi viſum eſt mentiri Spiritui ſancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo. Et Paulus cum gratiarum ſpiritualium diſtinguit gradus: Hæc omnia, inquit, operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis ſicut vult. Qui enim quod voluerit facit, nullius ſubiectus eſt poteſtati. Nam & vos (vt ſuperius dixi) male de Trinitate ſancta ſentitis: & quam iniqua ſit huius ſectæ peruerſitas, ipſius auctoris veſtri, id eſt, Arij expreſſit interitus.*

*Ad hæc ille: Legem quam non colis, blaſphemare noli: Nos vero quæ vos creditis, etſi non credimus, non tamen blaſphemamus: quia non deputatur crimini, ſi & illa & illa colantur: ſic enim vulgato ſermone dicimus: Non eſſe noxium, ſi inter Gentilium aras & Dei Eccleſiam quis tranſiens vtraque veneretur.* Vides in quantum Ariani fuerint lapſi dementiam, vt qui ſemel veræ catholicæ religionis exciderint, omnem impietatem putarint eſſe colendam. Sed pergit Gregorius. *Cuius ego ſtultitiam cernens, ait: Vt video & Gentilium defenſorem & hæreticorum aſſertorem te eſſe manifeſtas, cũ & Eccleſiaſtica dogmata maculas & Paganorum ſpurcitias prædicas adorari. Satius, inquam, fuerat, ſi ea te armaret fides, quam Abraham ad ilicem, Iſaac in ariete, Iacob in lapide, Moyſes vidit in ſente, quam Aaron portauit in logio, Dauid exultauit in tympano, Salomon prædicauit in intellectu: quã omnes Patriarchæ, Prophetæ, ſiue lex ipſa vel oraculis cecinit vel ſacrificiis figurauit: quam & nunc præſens ſuffragator Martinus noſter vel poſſedit in pectore vel oſtendit in opere: vt & tu conuerſus crederes inſeparabilem Trinitatem, & accepta à nobis benedictione, purgatoque à malæ credulitatis veneno pectore deleretur iniquitates tuæ. At ille furore commotus neſcio quid quaſi inſanus frendens ait: Ante anima ab huius corporis vinculis emicet, quam ab vllo religionis veſtræ ſacerdote benedictionem accipiam. Et ego: Nec noſtram Dominus religionem vel fidem ſic tepeſcere faciat, vt diſtribuamus ſanctum ſuum canibus, ac pretioſarum margaritarum ſacra porcis immundis exponamus. Ad hæc ille, relicta altercatione, ſurrexit & abiit. Sed poſt hæc cum in Hiſpaniam reuerſus fuiſſet, infirmitate debilitatus, ad noſtram religionem neceſſitate cogente, conuerſus eſt.* Hactenus Gregorius: qui diuerſis in locis, quæ hoc tempore interceſſerunt inter Catholicos & Arianos facta recenſet, & quidem ſcitu digniſſima, vt memorabile illud de Leone Epiſcopo Agathenſi aduerſus Gomacharium Comitem, qui adminiſtrabat prouinciam à Leuuigildo Rege Ariano profectus, ſub Gothorum nãque ditione eam fuiſſe ciuitatem, idem Gregorius alibi a tradit; enarrat rem geſtam his verbis b:

*Eccleſia quoque Agathenſis vrbis, quæ S. Andreæ reliquiis plaudit, peramplis glorioſis illuſtratur miraculis: peruaſores rerum ſuarum ſæpius arguit. Denique Gomacharius, Comes agrum Eccleſiæ ipſius peruadit. Tunc Leo Epiſcopus huius Eccleſiæ valde mœſtus occurrit ad eum, dicens: Relinque, fili, res pauperum, quas ordinatione noſtra Dominus commendauit; ne ſit tibi nocumentum, & lacrymæ egentium, qui de fructibus eius ali conſueuerant, noceant. Ille vero quia hæreticus erat, parui pendens quæ ab Epiſcopo dicebantur, rem in ſua dominatione retinuit. Interim prædictus Comes arripitur à febre. Cumque non modo ardore corporis, verum etiam animæ vexaretur incommodo: miſit ad Epiſcopum nuncios, dicens: Dignetur pro me ſacerdos orare ad Dominum ſi de . . . . & ego dimittam agrum eius. Quo orante, hic à valetudine, qua grauabatur, conualuit: factuſque ſanus ait ſuis: Quid putatis, quod iſti nunc Romani dicant? Aiunt enim me ob hoc fuiſſe febre grauatum, quod tulerim agrum eorum: quod mihi iuxta conſuetudinem humani corporis accidit. verumtamen non habebunt eum, me viuente.* Sane antequam vlterius progrediamur, attende nomenclaturã: appellat Romanos Catholicos licet Gallos, quod idem apud Arianos eſſet dicere Romanos ac Catholicos, vt obſeruauimus in Victore Vticenſi & aliis, ob prærogatiuam videlicet Romanæ Eccleſiæ, quod & alio quoque exemplo ex eodem Gregorio paulo inferius patebit. Pergit vero ipſe Gregorius:

XLVIII. QVIBVS PVGNET ARMIS CONTRA ARIANVM EPISCOPVS. *Quod cum Epiſcopus comperiſſet, venit ad eum, dicens: Num pœnitet te feciſſe bene, quod hoc iterum conaris euertere? Ne facias, quæſo, ne vltioni diuinæ ſubiaceas. Qui ait ad Epiſcopum: Sile, ſile, decrepite: iam infrenatum te loris circum urbem ſuper aſinam faciam, vt ſis in ridiculo omnibus, qui aſpexerint. At ille ſilens, ad nota recurrit præſidia. Proſternitur in oratione, celebrat vigilias, & noctem totam in lacrymis & pſallentio ducit. Mane autem facto accedit ad lychnos, qui de camera Eccleſiæ dependebant, extenſaque virgam quam tenebat in manu effregit cunctos, dicens: non hic accendetur lumen, donec vleiſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res Eccleſiæ ſuæ.*

XLIX. *Hæc eo dicente, protinus hæreticus ille in rediuiuam febrem corruit. Cumque in extremis ageret, miſit ad Epiſcopum, dicens: Oret pro me ſacerdos ad Dominum, vt viuam: & reſtituam agrũ, ac ſimilem eius conferam dominationi. Quibus Pontifex reſpondit: Iam oraui ad Dominum, & exaudiuit me. Miſit & alios & tertios ad eum nuncios: ſed ſacerdos in vno reſponſo perſiſtens non mouebatur ad hæc, vt pro eo orationem daret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens, iuſſit ſe in plauſtro componi, atque ad eum euehi, ac per ſe deprecari Epiſcopum, dicens: Quia dupla ſatisfactione reſtituo agrum, quem inique peruaſi: tantum vt ores* ARIANVS ILLVSOR PERIT. *pro me ſanctitas tua. Illo quoque recuſante, compulit eum vi, vt abiret ad Eccleſiam. Quo diſcedente, vt Eccleſiam eſt ingreſſus, & hic ſpiritum exhalauit: recepitque confeſtim Eccleſia rem ſuam.* hæc Gregorius de Comite Ariano, moxque ſubiungit ſe presbytero itidem Ariano presbyterum Catholicum deludente præſentaneum pauendumque Dei iudicium, quod ipſe auctor veritatis tantummodo cupidus, ſimpliciter, vt res geſta fuit enarrat his verbis c:

c Greg. Tur. de glo. mar. l. 1. c. 80.

L. LVDIBRIVM IN DELVSOREM RETORQVETVR. *Mulier quædam erat Catholica habens virum hæreticum, ad quam cum veniſſet presbyter noſtræ religionis valde Catholicus, ait mulier ad virum ſuum: Peto charitati tuæ, vt pro aduentu huius ſacerdotis qui me viſitare dignatus eſt, lætitia habeatur in domo noſtra, ac præparatum dignis impendiis prandium epulemur cum eo. Promittente autem viro eius ſic ſe, vt illa flagitabat, facturum aduenit & alius hæreticorum presbyter. Dixitque vir mulieri: Duplicata eſt lætitia hodie, eo quod ſint ſacerdotes vtriuſque religionis in domo noſtra. Diſcumbentibus autem ad conuiuium, vir ille cum presbytero dexteræ partis cornu occupat, Catholicum ad ſiniſtram ſtatuens, poſitaque ad læuam eius ſellula, in qua coniux eius reſideret. Dixitque vir ad presbyterum hæreticum: Si conſenſeris dictionibus meis, exerceamus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero; vt ſcilicet depoſito ferculo, tu celerius ſignare feſtines, cumque ille manum non poſuerit, illo triſtante, nos cum lætitia comedamus cibum* (mos enim in Eccleſia erat, vt de benedictionibus hæreticorum nemo Catholicus participaret) *Cui ille: Faciam, inquit, quod præcipis.*

LI. *Denique veniente diſco cum oleribus, ſignificauit hæreticus poſuitque primus manum ſuam. Quod cernens mulier ait: Ne feceris, quia ingrate fero iniuriam ſacerdotis. Et exhibito alio cibo ſumpſit Catholicus. In ſecundo vero & tertio ferculo ſimiliter fecit hæreticus. quarto autem exhibito, cuius in medium ſartago feruens aduenerat, in qua compoſitus erat cibus ille, qui ex colliſis ouis paruum permixta farina dactylorum particulis, oliuarumque rotunditatibus aſſolet exornari: feſtinans hæreticus, priuſquam ferculum illud vel menſam tangeret, eleuata in eo cibum manu ſignat: ſtatimque poſitum cochleari in ſuum, non intelligens, an calorem ferueniemque cibum velociter deglutiuit. Protinus accenſo pectore æſtuare cœpit, emiſſoque cum ſuſpirio immenſo ventris ſtrepitu, nequam ſpiritum exhalauit: ablatuſque de conuiuio locatur in tumulo, terrena mole con-* DERISOR ARIANVS MALE PERIIT.

*gerie eſt coopertus. Tunc exultans presbyter noſtræ religionis, ait: Vere viſus eſt Deus ſeruos ſuos. Et conuerſus ad virum cuius erat conuiuium, dixit: Periit huius memoria cum ſonitu, & Dominus in æternum permanet. Tu vero appone, quod comedam. Tunc homo ille perterritus, expleto conuiuio, prouolutus eſt ad pedes presbyteri, conuerſuſque ad fidem Catholicam, credidit cum domo ſua, qui in hac perfidia tenebatur, & multiplicata eſt lætitia, ſicut prius mulier flagitauerat.* hactenus de re geſta Gregorius, qua terribili iudicio Dominus deriſorem deriſit, ſecundum Scripturæ diuinæ elogium: a Hier. 48. *a Erit Moab in deriſum & in exemplum omnibus in circuitu ſuo.*

LII.

b Greg. de glor. mart. lib. 1. c. 81.

Subiicit his controuerſiam de fide habitam inter Catholicum diaconum & Arianum presbyterum, quæ miraculo dirempta eſt, remque tunc geſtam ſic narrat b: *Arianorum presbyter cum diacono noſtræ religionis altercationem habebat, proferens contra Dei Filium ac Spiritum ſanctum (vt mos eſt genti) venenoſas aſſertiones. At ille cum diu multumque nonnulla de fidei noſtræ ratione diſſeruiſſet, & hæreticus perfidiæ obcæcatus caligine, quæ erant vera reſpueret, iuxta illud, Quia in maleuolam animam non introibit ſapientia, adiecit dicens: Quid longis ſermocinationum intentionibus fatigamur? factis rei veritas approbetur: Succendatur igni aeneus, & in feruenti aqua annulus alicuius proiiciatur. Qui vero eum ex feruenti vnda ſuſtulerit, ille iuſtitiam conſequi comprobetur: quo facto pars diuerſa ad cognitionem huius iuſtitiæ conuertatur. Intellige itaque & tu, hæretice, ſi hæc pars noſtra, Spiritu S. adiuuante, compleuerit: nihil in ſancta Trinitate diſſonum, nihil eſſe diſſimile fatearis. Conſenſit hæreticus huic definitioni, & initio vſque mane placito diſceſſerunt.*

ADMIRACVLVM PROVOCATVR HÆRETICVS.

LIII.

TEPESCIT IN CATHOLICO FIDEI FERVOR.

*Sed fidei feruor, per quem hæc primum diaconus protulerat, cœpit inimico inſidiante, tepeſcere. Diluculo autem ſurgit, brachium infundit oleo, vnguento conſpergit: ſed tamen loca ſancta circuit, & Dominum deprecatur. Quid plura? Circa horam tertiam in foro conueniunt: concurrit populus ad ſpectaculum: accenditur ignis, æneus ſuperponitur, feruet valde, annulus in vnda feruente proiicitur. Inuitat primum diaconus hæreticum, vt ipſe eum à calore auferat: ſed ſtatim recuſauit, dicens: Qui hanc ſententiam protuliſti, debes auferre. Diaconus vero licet trepidus, tamen denudat brachium. Cumque ipſum vidiſſet vnguento hæreticus presbyter delibutum exclamauit dicens: Magicis artibus te eſtandum putaſti, vt hæc vnguenta diffunderes: nec valebunt iſta quæ agis.*

LIV.

*His itaque litigantibus, superuenit diaconus ab vrbe Rauenna, Hyacinthus nomine: ſciſcitatuſque, quæ eſſet hæc altercatio, vt veritatem cognouit, nec moratus, extracto à veſtimentis brachio, in æneum dexteram mergit. Annulus autem, qui eiectus fuerat, erat valde leuis ac paruulus, nec minus ferebatur ab vnda, quam vento ferri poſſet vel palea. Quem diu multumque quæſitum infra vnius horæ ſpatium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille ſub dolio, quo validius feruens non facile aſſequi poſſet annulus à manu quærentis: extractuſque tandem. Nihil diaconus ſenſit in carne ſua, ſed potius proteſtatur, in imo quidem frigidum eſſe æneum, in ſummitate vero calorem teporis modici continentē. Quod cernens hæreticus, valde confuſus iniicit audax manum in æneo, dicens: Præſtabit mihi hæc fides mea, iniecta manu, protinus vſque ad ipſa oſſium internodia omnis caro liquefacta defluxit, & ſic altercatio finem accepit.* iſta Gregorius: ſed de miraculis iam ſatis ad pietatem.

IGNE PROBATA FIDES.

LV.

CHILPERICVS REX DECLINAT IN SABELLIANISMVM.

c Greg. Tur. l. 5. c. 44.

Ad poſtremum autem quid hoc item anno contigerit de Rege Francorum Chilperico Arianam hæreſim inſectante videamus. Accidit enim, vt cum idem Rex aduerſus ipſos pugnans victor regrediatur, ab alia his contraria hæreticorum turma fuerit captiuus abductus, vixque tandem à ſuis Catholicis liberatus, cum videlicet expugnans ſuis etiam ſcriptis Arianos a Sabellianis tenetur deprehenſus erroribus. Nam audi Gregorium, c qui rem geſtam narrat: *per idem (inquit) tempus Chilpericus Rex ſcripſit indiculum, vt ſancta Trinitas non in perſonarum diſtinctione, ſed tantum Deus nominaretur, aſſerens indignum eſſe, vt Deus perſona, ſicut homo carneus nominetur, affirmans etiam ipſum eſſe Patrem, qui eſt Filius, idemque ipſum eſſe Spiritum ſanctum, qui eſt Pater & Filius: Sic (inquit) Prophetis ac Patriarchis apparuit, ſic eum ipſa lex nunciauit. Cumque hæc mihi recitari iuſſiſſet: Sic, inquit, volo vt tu & reliqui doctores Eccleſiarum credatis. Cui ego reſpondi: Hac credulitate relicta, pie Rex, hoc te oportet ſequi, quod nobis poſt Apoſtolos alij doctores Eccleſiæ reliquerunt: quod Hilarius Euſebiuſque docuerunt: quod & in baptiſmo es confeſſus. Tunc iratus Rex ait: Manifeſtum eſt mihi in hac cauſa Hilarium Euſebiumque validos inimicos haberi. Cui ego reſpondi: Obſeruare te conuenit, neque Deum, neque Sanctos eius habere offenſos. Nam ſcias, quia in perſona aliter Pater, aliter Filius, aliter Spiritus ſanctus: Non Pater aſſumpſit carnem, neque Spiritus ſanctus, ſed Filius: vt qui erat Dei Filius, ipſe ad redemptionem hominis filius haberetur & Virginis. Non Pater paſſus, neque Spiritus ſanctus, ſed Filius, vt qui carnem aſſumpſerat in mundo, ipſe offerretur pro mundo. De perſonis vero quod ais, non corporaliter, ſed ſpiritualiter ſentiendum eſt. In his ergo tribus perſonis vna gloria, vna æternitas, vna poteſtas.*

LVI.

REX ACQVIESCIT SALVIO EPISCOPO.

*At ille commotus ait: Sapientioribus te hoc pandam, qui mihi cōſentiant. Et ego, Nunquam erit ſapiens, ſed ſtultus, qui hæc, quæ proponis, ſequi voluerit. Ad hæc ille frendens ſiluit. Non poſt multos vero dies adueniente Saluio Albigenſi Epiſcopo, hæc ei præcepit recenſeri, deprecans, vt ſibi conſentaneus fieret. Quod ille audiens, ita reſpuit, vt ſi chartam, in qua hæc ſcripta tenebantur, potuiſſet attingere, in fruſta diſcerperet. Et ſic Rex ab hac intentione quieuit.* hæc de Regis Sabellianiſmo addit Gregorius, fuiſſe Chilpericum poeticis facultatibus leuiter excultum, addidiſſeque Græca elementa Latinis. Celebrat eum quidem Fortunatus d, vt omnium Francorum Regem anteceſſorem & æqualium doctiſſimum, linguaſque in primis varias callentem: vnde ipſe:

d Fortun. carm. l. 9.

*Diſcernens varias, ſed nullo interprete voces,*
*Et generum linguas vnica lingua refert.*

& inferius:

CHILPERICVS DOCTRINA POLLENS.

*Inter vtrumque ſagax armis & iure probaris:*
*Belliger hinc radias, legifer inde micas.*
*De virtute pater reparatur, auunculus ore,*
*Doctrinæ ſtudio vincis & omne genus.*

& de poetica facultate:

*Regibus æqualis, de carmine maior haberis,*
*Dogmate vel qualis non fuit ante parens.*
*Te arma ferunt generi ſimilem, ſed littera præfert.*
*Sic veterum regum par ſimul, atque prior.*
*Admirande mihi nimium Rex, cuius opime*
*Prælia robur agit, carmina lima polit.*
*Legibus arma regis, & leges dirigis armis.*
*Artis diuerſæ ſic ſimul it iter, &c.*

Humanū fuit deliquiſſe Regem, & excuſatione dignum, quod dum fertur præceps in pugnam aduerſus Arium, tranſgreſſus limitem, in Sabellianiſmum impegit: at Chriſtianiſſimi Regis præclarum reliquit exemplum, cum contraria aſtruentibus ſacerdotibus acquieuit. Sed ad felices Sanctorum ad Deum tranſitus venimus.

LVII.

e Greg. de glor. conf. c. 85.

f Greg. l. 5. c. 45.

g Fortun. carm. l. 3.

Hoc enim anno Sanct. Maurilium Epiſcopum Cadurcenſem miræ ſanctitatis virum ex hac vita migraſſe, idem tradit Gregorius e, qui eius virtutes recenſet ac celebrat: itemque S. Agricolam Cabilonenſem Antiſtitem euocatum ad ſuperos addit f. Fuit hic filius ſenioris Agricolæ æque ſancti, à quo vna cum Iuniore Agricola Venantius Fortunatus ſacris litteris inſtructus fuit, vt ipſe epigrammate teſtatum reliquit g ad Agricolam Epiſcopum Cabilonenſem, quod alia occaſione ſuperius eſt recitatum.

LIX.

h Greg. l. 5. c. 47.

Iungit eidem coronæ Sanctorum Gregorius Dalmatium Ruthenæ ciuitatis Epiſcopum æque hoc anno ad cæleſtia gaudia euocatum. Quam autem terribili Dei iudicio pœnas dederit, qui aduerſus eum probra iacere & blaſphemare præſumpſit, à Gregorio ita accipe h: *Tranſobadus autem presbyter epulum in ipſa vrbe clericis præparat. Reſidentibus autem illis, vnus presbyterorum cœpit Antiſtitem memoratum impudicis blaſphemare ſermonibus, & vſque ad hoc erupit, vt eum delirum & fatuum nominaret. Hoc eo dicente, pincerna poculum oblaturus aduenit. At ille acceptum dum ori proximat, tremere cœpit: laxatoque de manu calice, ſuper alium, qui ſibi erat proximus caput reclinans, reddidit ſpiritum: ablatuſque ab epulo ad ſepulchrum humo contectus*

eſt.

eſt hæc Gregorius. Moritur & his Tiberij Imperatoris temporibus in Palæſtina Siſinnius ex Epiſcopo factus anachoreta, itemque eius diſcipulus magiſtro ſanctitate, non tempore, vt exitus declarauit a.

## IESV CHRISTI

### Annus 584.

PELAGII PAP. II. Annus 7. TIBERII IMP. Annus 3.

I. QVingenteſimus octogeſimus quartus Chriſti annus Indictionis ſecundæ nota ſignatur: quo, die decimatertia Aprilis nobile martyrium Hermenegildi Regis Catholicorum Hiſpanias, cum etiam vniuerſum Chriſtianum orbem mirifice illuſtrauit, Gothorumque gentem Arianæ hactenus infamem hæreſi tanta corona nobilitatam reddidit glorioſam. De re hac acturi, primũ omniũ noſtro more, rei geſtæ tempus certis rationibus confirmemus, quod ſcimus à diuerſis eiuſmodi inſigne martyrium diuerſis Domini annis collocatum; alij enim anno octogeſimo tertio, alij ſexto, alij octauo, alij nono id factum affirment. Verum cui magis credamus, quam Iſidoro ob oculos hæc habenti, inuenimus neminẽ. Cum enim obitum Leuuigildi Regis perſecutoris, auctoriſque filij necis, anno ſequenti referat contigiſſe, nempe anno regni ipſius decimooctauo: nihil eſt penitus, vt poſt eius obitum martyrium filij ipſius Hermenegildi Regis quis valeat collocare.

II. Et ne quis putet errorem illapſum in numerum apud Chronicon Iſidori, accipe id magis exploratum ex Synodalibus Actis, ex quibus pariter anno ſequenti habes Leuigildo defuncto fuiſſe ſubrogatum eius filium Reccaredum. Quod vero his videatur repugnare nota Æræ et numero ab annis Iuſtini Imp. deductione quis dicere poſſit potius in illum, quam in iſtum per notam Æræ numerum ſupputatum irrepſiſſe mendum, habet ad hæc legenda Acta Synodalia Toletani Concilij, quod cum habitum dicatur anno quarto Reccaredi Leuuigildi ſucceſſoris, & eidem numero iungatur Æra (vt ibi ponitur) ſexcenteſima vigeſimaſeptima (qui eſt annus Domini quingenteſimus octogeſimus nonus) plane habes, vnde intelligas ipſum auſpicatum eſſe regnum anno ſequẽti poſt patris obitum: ex quibus conſentientia vides Iſidoro Acta Synodalia de obitu Leuuigildi, quod contigerit anno ſequenti. Cum vero ante annum [illegible] ipſius martyrium conſummatum conſtet, vtique hoc anno & non alio id factum euidenter apparet.

Quod autem deducatur hoc ipſum ex tabulis aſtronomicis ab Ambroſio, eo quod hoc ipſo anno & non ſequentibus contigerit celebrari Paſcha eo die, quo & martyrium ſubiit: friuolum videri poteſt ex eiuſmodi tabulis hoc aſſerere, cum Ariani, de quorum Paſchate agitur, nequaquam Catholicorum legibus ſubderentur. Sed firmiter ſententia ex Synodalibus (vt diximus) Actis aſſerta, hoc anno nec poſtea, nec antea contingere potuiſſe martyrium Hermenegildi. Cum enim (vt dictum eſt) [illegible] interlapſum ſpatium à cæde martyris vſque ad obitum patris etiam Gregorius aſſeueret, & liqueat pariter ſequenti anno ipſum Leuuigildum eſſe defunctum: neceſſe eſt affirmare, hoc anno S. Hermenegildum glorioſum conſummaſſe martyrium. Hæc ſatis de his, quæ ſpectant ad tempus.

Quæ vero præceſſerint, ex Gregorio Turonenſi petamus, nimirum proditionem factam à Græcis, qui à Tiberio miſſi in auxilium venerant Hermenegildi, quem [illegible] Hermenechildum cuius rei gratia ipſe Rex patri ſpondenti ſe dedit: ait enim b: *At ille*, nempe Leuuigildus parens, *datis præfecto Imperatoris triginta millibus ſolidis, vt ſe ab ſuo ſolatio reuocaret, commoto exercitu contra eum venit. Hermenegildus vero vocatis Græcis contra patrem egreditur, relicta in vrbe coniuge ſua. Cumque Leuuigildus ex aduerſo veniret, relictus à ſolatio,* Græcorum ſcilicet, *Hermenegildus cum videret nihil ſe præualere poſſe, Eccleſiam, quæ erat propinqua, expetijt, dicens: Non veniat ſuper me pater meus: nefas eſt enim aut patrem à filio, aut filium à patre interfici. Hæc audiens Leuuigildus miſit ad eum fratrem eius: qui dato ſacramento, ne humiliaretur, ait: Tu ipſe accede, & proſternere pedibus patris noſtri, & omnia indulgebit tibi. At ille popoſcit vocari patrem ſuum. Quo ingrediente, proſtrauit ſe ad pedes illius: ille vero apprehenſum oſculatus eſt eum, & blandis ſermonibus delinitum duxit ad caſtra: oblitusque ſacramenti innuit ſuis, & apprehenſum ſpoliauit eum indumentis ſuis, induitque illum veſte vili: regreſſusque ad vrbem Toletum ablatis pueris eius, miſit eum in exilium cum vno tantum puerulo,* hæc Gregorius. Verum non in exilium, ſed in carcerem fuiſſe detruſum, omnes affirmant. Coniugem vero eius ereptam à Græcis & ductam in Africam, vt perducerent eam ad Imperatorẽ, ibi defunctam tradit c, ſed in eo quam prudens ipſe viderit, dum appellat miſerum Hermenegildum iudicio diuino in prælio derelictum, quod contra genitorem quãtumlibet hæreticum talia cogitarit, quaſi non monuiſſet Dominus pietati erga Deum, patrem matrem, & omnia poſthabenda. Sed iam ea, quæ de ipſo Rege martyre omni fide teſtata S. Gregorius narrat, hic reddamus, ait enim d:

c Greg. Tur. li. 6. c. 34. & l. 8. c. 28.

d Greg. dial. li. 3. c. 31.

V. CONSTANTIA HERMENEGILDI.

*Sicut multorum, qui ab Hiſpaniarum partibus veniunt, relatione cognouimus, nuper Hermenegildus Rex Leuuigildi Regis Viſigothorum filius ab Ariana hæreſi ad fidem Catholicam, viro reuerendiſſimo Leandro Hiſpalitano Epiſcopo dudum mihi in amicitijs familiariter iuncto prædicante, conuerſus eſt: quem pater Arianus, vt ad eamdem hæreſim rediret, & præmijs ſuadere, & minis terrere conatus eſt. Cumque ille conſtantiſſime reſponderet, nunquam ſe veram fidem poſſe relinquere, quam ſemel agnouiſſet: iratus pater eum priuauit regno rebuſque ſpoliauit omnibus. Cumque nec ſic virtutem mentis illius emollire valuiſſet, in arctam illum cuſtodiam includens, collum manuſq; eius ferro ligauit. Cœpit itaque idem Hermenegildus Rex iuuenis terrenum regnum deſpicere, & forti deſiderio cæleſte quærens in cilicio vinculatus iacens omnipotenti Deo ad confortandum ſe preces effundere, tantoque ſublimius gloriam tranſeuntis mundi deſpicere, quanto & relegatus agnouerat, nihil fuiſſe, quod potuerit auferri.*

VI. *Superueniente autem Paſchalis feſtiuitatis die, intempeſtæ noctis ſilentio, ad eum perfidus pater Arianum Epiſcopum miſit, vt ex eius manu ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet, & per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Epiſcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiuſque à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etſi exterius iacebat ligatus, apud ſe tamen in magno mentis culmine ſtabat ſecurus. Ad ſe itaque reuerſo Epiſcopo, Arianus pater infremuit, ſtatimque ſuos apparitores miſit, qui conſtantiſſimum confeſſorem Dei illic, vbi iacebat, occiderent. Quod & factum eſt. Nam mox vt ingreſſi ſunt, ſecurim cerebro eius infigentes, vitam corporis abſtulerunt: hocq; in eo valuerunt perimere, quod ipſum quoque qui peremptus eſt, in ſe conſtiterat, deſpexiſſe. Sed pro oſtendenda vera eius gloria ſuperna quoque non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno ſilentio pſalmodiæ cantus ad corpus eiuſdem Regis & martyris audiri, atque ideo veraciter Regis, quia & martyris. Quidam etiam ferunt, quod illic nocturno tempore accenſæ lampades apparebant: vnde & factum eſt, quatenus corpus illius, videlicet martyris, iure à cunctis Fidelibus venerari debuiſſet. Pater vero perfidus & parricida commotus pœnitentia, hoc feciſſe ſe doluit: nec tamen vſque ad obtinendam ſalutem pœnituit. Nam quia vera eſſet Catholica fides cognouit, ſed gentis ſuæ timore perterritus ad hanc peruenire non meruit,* hæc Gregorius: habet eadem Ado Viennenſis.

MARTYRIVM HERMENEGILDI.

SIGNA DIVINITVS OSTENSA POST MARTYRIVM.

VII. Addidit & illud amplius, vt quamuis viſus ſit pœnituiſſe necis illatæ filio, non tantum non deſeruerit perfidiã, cuius impulſu execrandũ facinus perpetrauit, ſed iracũdia ex dolore concepta, exæſtuans eam acrius propagarit, vtpote qui eius cauſa aduerſus Catholicos acerbiorẽ perſecutionem excitauit, relegans Orthodoxos Epiſcopos in diuerſa loca, Eccleſiaſque bonis ſpolians. Exulaſſe

LEVVIGILDVS PERSEQVITVR ORTHODOXOS.